36660/B

MEZA, S. T. de
c

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28774668_0002

SALOMONIS THEOPH. DE MEZA

MED. DOCT. POLIATR. HAFNIENSIS

COMPENDIVM MEDICVM PRACTICVM

PER

FASCICVLOS DISTRIBVTVM.

VOL. II.

TRES FASCICVLOS ALTEROS. Sc.

IV. DE FLVXIBVS.

V. DE MORBIS CONVVLSIVIS.

VI. DE MORBIS CACHECTICIS

CONTINENS.

HAFNIAE,

APVD CHRIST. GOTTL. PROFT.

BIBLIOPOLAM VNIVERSITATIS.

1781.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

328438

ELENCHUS CAPITUM.

Cap. I. De Polyſarcia & Obeſitate	-	Pag. 1
Cap. II. De Cachexia	- -	5
Cap. III. De Scorbuto	- -	8
Cap. IV. De Utero	- -	14
Cap. V. De Hydrope in genere	-	18
Cap. VI. De Anaſarca & Leucophlegmatia		24
Cap. VII. De Ascite & Tympanite		28
Cap. VIII. De Hydrope Uteri & Ovarii		33
Cap. IX. De Hydrocele	- -	35
Cap. X. De Hydrothorace	- -	36
Cap. XI. De Hydrocephalo	- -	38
Cap. XII. De Rachitide	- -	41
Cap. XIII. De Scrophulis & Strumis		44
Cap. XIV. De Scirrho & Cancro	-	47

* a Cap.

Cap. XV. De Gangraena & Sphacelo Pag. 52
Cap. XVI. De Alopecia & Plica Polonica 56
Cap. XVII. De Elephanthiaſi - - 58
Cap. XVIII. De Lepra - - 61
Cap. XIX. De Scabie - - 64
Cap. XX. De Tinea - - 67
Cap. XXI. De Impetigine & Herpetibus 69
Cap. XXII. De Lue venerea - 71
Bubo - - - 76
Teſtium tumor - - 77
Phymoſis & Paraphymoſis 78
Ulcuscula cancroſa &c. ib.
Lues confirmata - - 79
Formulae Medicinales - - 91

COM-

COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM

PER

FASCICULOS DISTRIBUTUM

FASCICULUS QUARTUS

DE FLUXIBUS

AVTORE

SALOMONE THEOPH. DE MEZA,

MEDICINAE DOCTORE ET POLIATRO HAFNIENSI,
SOCIETATIS MEDICAE HAFNIENSIS MEMBRO
ORDINARIO.

HAFNIAE,
APUD CHRIST. GOTTL. PROFT,
BIBLIOPOLAM VNIVERSITATIS.
1781.

ELENCHUS CAPITUM.

Cap. I. De Fluxibus in genere -	Pag. 1
Cap. II. De Plethora - -	5
Cap. III. De Haemorrhagia in genere	8
Cap. IV. De narium Haemorrhagia -	12
Cap. V. De Haemoptoe - -	14
Cap. VI. De vomitu cruento ſeu morbo nigro	18
Cap. VII. De fluxu hepatico -	20
Cap. VIII. De Haemorrhoidibus -	21
Cap. IX. De mictu cruento - -	25
Cap. X. De menſium obſtructione & chloroſi	28
Cap. XI. De Lochiorum retentione -	33
Cap. XII. De fluxu menſium immodico	34
Cap. XIII. De Abortu & Mola - -	36
Cap. XIV. De Uteri Haemorrhagia -	40
Cap. XV. De Vomitu - -	43
Cap. XVI. De Alvi conſtipatione -	47

Cap.

Cap. XVII. De Diarrhoea & alvi fluxu 53
Cap. XVIII. De Epiphora - - 57
Cap. XIX. De Coryza ſeu gravedine 59
Cap. XX. De Otorrhoea ſeu aurium profluvio 61
Cap. XXI. De Ptyaliſmo ſeu ſalivatione morboſa 62
Cap. XXII. De Diabete - - 65
Cap. XXIII. De Enureſi ſeu urinae incontinentia 67
Cap. XXIV. De Iſchuria ſeu Anuria - 68
Cap. XXV. De uroſcopia ſive de urinis ut ſigno 71
Cap. XXVI. De Gonorrhoea ſeu profluvio genitali - - - - - 77
Cap. XXVII. De Leucorrhoea ſeu fluore albo 82
Cap. XXVIII. De Ephidroſi ſeu ſudore morboſo 85
Cap. XXIX. De Fonticulis - 89
Formulae Medicinales - 99

COM-

COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM

PER

FASCICULOS DISTRIBUTUM

FASCICULUS MORBORUM QUARTUS

DE FLUXIBUS.

Cap. I.

DE FLUXIBUS IN GENERE.

§. 1.

De fluxibus acturus caput generale omnes breviter continens præponere libet, obiterque monendum, me in hoc faſciculo de ſuppreſſione & emanſione quorundam fluxuum naturalium, v. g. de menſium emanſione ſeu chloroſi; de alvi obſtipatione & ſic porro agere velle. Per fluxus autem intelligendum puto, dum retinenda in corpore ad ſui conſervationem, cito nimis aut in majori copia excernuntur.

§. 2. Sunt autem quaedam certo tempore excernenda, quae ſi diutius quam par eſt retinentur, morborum plurimorum ferax exiſtunt cauſa, uti menſes, foetus, ſecundinae, lochia, urina, excrementa alvina, ſudorque non nunquám. Tum & humores morboſi in Gonorrhoea virulenta, Leucorrhoea; pus ichorve ex abſceſſibus aut ulceribus; humores ſeroſi, pituitoſi in coryza.

§. 3. Immodice excernuntur naturaliter quidem excernenda, urina in Diabete, excrementa fluidiora ſaepius ejecta in Diarrhoea aut alvi fluore: ſanguis copioſius expellitur in menſium fluxu nimio, lochiis profuſioribus. Retinenda ſunt mucus naturalis inteſtinorum, qui aliquando quam maxime deperditur in Dyſenteria protracta, veſicae in calculo; ſemen quod perit in Gonorrhoea benigna, coitu nimio, manuſtupratione, chylus qui in Lienteria, coeliaca paſſione ejicitur. Sanguis qui in Haemorrhagiis, Haemoptoe, Haemorrhoidibus & Vomitu cruento profunditur. Saliva in ptyaliſmo; Lacrymae in epiphora nimis fluunt.

§. 4. Excernenda iterum retinentur in Haemorrhagiis conſuetis ſive naturalibus ſive artificialibus. v. g. Sanguinis miſſione, ſcarificatione, hirudinumve applicatione ſolitis jam vero neglectis, in alvi obſtructione, ischuria, dyſuria.

§. 5.

§. 5. Sanguis fluit in haemorrhagiis; ſerum in urinoſis affectibus, & ſudore; humor mucoſus, pituita in alvi dejectionibus; viſcidum ſui generis in genitalibus virorum & mulierum.

§. 6. Fluxus fiunt vel ſponte & motu naturae ſcilicet a cauſa interna, vel arte & medicamentorum ope, quae vel ſecundum Medici intentum operantur vel & contra medentis expectationem ob peculiarem idioſincraſian. Sic a paucis granis mercurii dulcis ſalivatio inſurgit ſatis moleſta ſaepe in ſcorbuticis. Ab uſu vini Rhenani ad Lithiaſin praecavendam Diabetes orta fuit, vel & demum violentia externa quocunque modo excitantur, uti a vulnere, ponderum elevatione, clamore, cantu, irae motu fiunt haemorrhagiae ſaepe funeſtae.

§. 7. Caeterum fluxuum cauſae quaerendae vel in fluidis vel in ſolidis. Fluida enim volumine & rarefactione augentur, vaſa diſtendunt dilatantque, acria fiunt & ſolida corrodunt; tenuia nimis ſponte fere effluunt ſolidis per diabroſin corroſis, ruptis per rixin, vulneratis vel ſectis per diaereſin, luminibus & orificiis vaſorum dilatatis per Anaſtomoſin, vel fibrarum tunicas conſtituentium interſtitiis & ſpatiis per diapedeſim ampliatis. Accidentales cauſae ſunt pavor, quo alvi fluor excitatur, terror quo ſcybalorum & excrementorum duriorum exitus promovetur, & angor ſudoris eruptioni anſam praebens.

§. 8. Fluxus immodici maſſam humorum totalem minuunt, indeque vaſa collabuntur, functionesque omnes a juſta liquidorum ad ſolida proportione pendentes pereunt. Sunt vero fluxus naturales, praeternaturales & critici. Naturales quandiu vires conſtent permittendi, praeternaturales arte & prudentia ſumma cohibendi. Critici omnino ſibi relinquendi, immo quandoque arte promovendi, cum inde omnium ſymptomatum levamen cum vitae incremento ſequatur, materiaque morbi e corpore eliminetur.

§. 9. Fluxus immodici vario ſiſtuntur modo pro varietate fluidi excreti, ſic ſanguinis fluxus ut plurimum quandiu vires conſtant, ſanguinis miſſione ſiſtendi, quae vel evacuando vel derivando & revellendo juvat. Eidem ſcopo inſervire poſſunt ſcarificationes & hirudinum applicatio. Fluxus ſeroſi cathartica poſtulant; tum & veſicantia & fonticulos derivandi gratia ad corporis extrema appoſitos; haemorrhagiae ex cauſa externa, inſtrumento vulnerante, ligaturas, compreſſiones aliaque a perito chirurgo concinnanda requirunt. Alvi fluxus optima & tuto remediis curatur rhabarbarinis. Ad adſtringentia non niſi lento procedendum gradu. In quocunque fluxu roborantia cortex peruvianus & martialia potius commendantur. Remedia externa quandoque uſurpanda quoque, qualia ſunt Balnea, epithemata fomentaque frigida ex aceto & vino rubro; injectiones ex aqua calcis, ſolutione aluminis,

minis, uti de ſingulis debito conſtabit loco. Ut obiter autem dicam ex omnibus haemorrhagiis nulla promptius auxilium poſcit quam illa quae ex utero fit. Vinum rubrum hic vulgo interne propinatum maxime noxium, uti in omnibus fere aliis ſanguinis fluxibus. A vino enim ſanguinis motus promovetur magis & fluxus, quem compeſcere ſatagunt, uberior profuſiorque fit.

Cap. II.

DE PLETHORA.

§. 10.

Illa ſanguinis abundantia, quo functiones homini propriae laeduntur, Plethora medicis audit, quae ſi non ipſa morbus, ſaltem mater plurimorum morborum exiſtit foecunda. Si vero volumen ſeu maſſa ſanguinis tantum augetur, plethoram ſiſtit ſimplicem; ſi ſimul vero adeſt ſanguinis ſpiſſitudo, aliave prava qualitas, Plethora oritur complicata. Datur praeterea Plethora ad vaſa ſc. ubi revera major adeſt ſanguinis quantitas quam naturaliter in vaſis contineri poteſt. In ſimilibus venae conſpiciuntur quam maxime diſtentae ad minimum calorem; tum & Plethora ad vires, quae & ſpuria audit, dum corpus aggravari videtur a ſanguinis mole ob ſummam fibrarum debilitatem, quae vim aut impetum fluidorum

 ferre

ferre haud poſſunt. Tales de moleſto queruntur calore, gravitate cum quadam venarum intumeſcentia ad minimum motum & tempore digeſtionis poſt cibum pleniorem praeſertim. Plethora demum datur obeſa, dum ſc. ſubſtantia oleoſa in ſyſtemate celluloſo accumulatur nimis. Praeter has univerſales etiam habetur plethora particularis, quae conſiſtit in congeſtione ſanguinis topica, quod praecipue fit circa vaſa encephali, & in foeminis circa vaſa uterina.

§. 11. Sanguinis boni copia gignitur in his, qui ſtomacho gaudent valido ciborumque aviditate; qui cibis copioſe veſcuntur eupeptis cum vita otioſa vel non valde exercitata; quique ſubito e vita laborioſa ad inertem tranſeunt, ſive juniores ſive ſeniores; quive ſine curis vitam agunt; quive minus transſpirant. Facile quoque oritur ab haemorrhagiis naturalibus conſuetis, menſtruatione haemorrhoidibus ſuppreſſis; artificialibus, venae ſectione ſc. & ſcarificationibus neglectis. Addenda hic veniunt ablactatio membrique mutilatio.

§. 12. Signa diagnoſtica deſumuntur ex praegreſſis, ſectioneque ſuperiori recenſitis, ex colore faciei rubro florido, ſomno profundiori absque inſomniis, ex laſſitudine membrorum inſolita ad corporis motum, ex defatigatione cita a labore, motu haud exceſſivis cum reſpiratione anheloſa, ex haemorrhagiis ſpontaneis, quae levamen afferunt, ex ſolamine, quod a venae ſe-

ctione

ctione percipitur prophylactica ex pulſu tardo & pleno, quod in plethora obeſa fallit, ibi enim debilior eſt. Inter ſigna plethorae numerantur etiam iracundia facilis, ſanguis e vena miſſus in placentam denſam & atram concretus, ſerum dans paucum. Si plethora tantum ad vires, imbecillitas adeſt, corpus macilentum, ſomnus inquietus, ſanguis minus ſpiſſus, magnam ſeri copiam praebet.

§. 13. Plethorae primarii effectus, majora vaſa diſtendere, minora comprimere, obſtruere indeque in ſumme plethoricis frigus potius quam calor percipitur extremorum, ob ſanguinis circulationem lentam admodum in vaſis minoribus, quae in majori motu facillime rumpuntur, & haemorrhagias, haemoptoes, lethales ſubito ſaepe producunt. Circulatio perturbatur, cordis reſiſtentia augetur, inde ejusdem palpitationes moleſtae. Pulſus intermittens non autem cum periculo ſemper. Inde iterum obſtructiones, tumores, varices, aneuriſmata, viſus obſcuratio, aurium tinnitus. Praeterea producit Plethora, dolores, ſpasmos, convulſiones, vertiginem, praeſertim ad ſubitam capitis inclinationem aut corporis inflexionem, cephalalgiam, ſaepius revertentem, apoplexiam; pectoris oppreſſionem & anxietates, mortem inopinatam, etiam podagram, haemorrhoides, menſium periodos largiores citiusque redeuntes, hypochondriacam paſſionem, nimiam obeſitatem, cachexiam, hydropem, lithiaſin, febresque omnes chronicas & acutas.

§. 14. Plethora curatur & prophylactice & curative venae ſectione bis vel ter in anno inſtituta circa ver & autumnum pluries in anno ſanguinem mittere, viam eſt pandere plethorae aſſentiente van Swieten & dein hydropi. Scarificationes hic etiam interdum conducunt, praeterea requiritur abſtinentia a copia ciborum, a ſomno longiori. Corpus quotidie rite exercendum, alvus libera ſervanda. In diaeta laudantur fructus horrei ſive crudi ſive cocti. Pro potu concedi poſſunt aquae Selteranae, ſerum lactis.

Cap. III.

DE HAEMORRHAGIA IN GENERE.

§. 15.

Sanguis naturaliter in vaſis retinendus, ſi praeter morem aut diutius quam par eſt ut inde vires debilitentur, vel per inconſuetas vias vaſis diſtentis nimis vel ruptis, horumve luminibus dilatatis tantum effluit, haemorrhagia dicitur. De Haemorrhagia, quae ex vulnere fit, chirurgi conſulendi.

§. 16. Pro varia parte, e qua effluit ſanguis, varia ſortitur nomina haemorrhagia, quae quidem ſimpliciter, narium ſanguinis fluxum denotat

tat apud HYPOCRATEM, ſi e pulmonibus ſpumoſus exit ſanguis cum tuſſicula, Haemoptoës audit: excreando e faucibus, ſputum cruentum; ſtomacace ſi e gingivis putridis eroſisve: haematemeſis ſeu vomitus cruentus ſi per oeſophagum cum vi quadam erumpit: ſanguinis emiſſio per vias urinarias Haematuria eſt: Menorrhagia menſium fluxus immodicus, Lochiorrhoea ſanguinis fluxus nimius poſt partum: in gravidis vetulisve e quacunque cauſa ſanguis aequo plus ex utero fluens Metrorrhagiam conſtituit. Foetus vero immaturior excluſio una cum ſanguinis profluvio vocatur Abortus: ſine dolore autem ſanguis Loturae carnis haud abſimilis per alvum fluens ideam dat Hepatirrhœae ſeu fluxus hepatici; qui vero fluit ſanguis ex ano, mariſcis ſeu vaſis haemorrhoidalibus, haemorrhois eſt.

§. 17. In genere omnis ſanguinis fluxus eſt vel idiopathicus, vel ſymptomaticus, vel & demum criticus. Idiopathicus, de quo praecipue hic, dum cauſa in ipſo organo, e quo effluit, quaerenda. Symptomaticus in quibusdam morbis putridis, ſcorbuticis, chronicis, viſcerum obſtructionibus contingit non laeto omine. Criticus qui die decretorio, in quibusdam acutis, inflammationibus febribus ardentibus cum ſymptomatum imminutione viriumque augmento oritur. Optimae cenſentur evacuationes ſanguineae criticae, quae e naribus, vaſis haemorrhoidalibus in quibusdam viris ex uterinis in foeminis menſtruationis tempore fluunt, non ita caeterae.

§. 18. Juvenes & infantes prae caeteris narium haemorrhagiae manent obnoxii, adultiores haemoptoae vomituique cruento, ſeniores haemorrhoidibus; effoetae ſeu vetulae metrorrhagiae ſive regulariter vel periodice, ſive irregulariter. Ad ſanguinis fluxus diſponit plethora & acrimonia, temperamentum calidum, temperies laxa debilisque, menſa lauta, membri mutilatio. Occaſionem praebet exercitium immodicum, aer aeſtuoſus, animi pathemata violentiora, gaudium, ira ſc. cibus aromaticus, potus vinoſus ſpirituoſusve, veneris nimia cultura, niſus quicunque corporis fortior, evacuationes ſanguineae ſive naturales ſive artificiales ſuppreſſae, neglectae. Sic in foeminis ex catameniis ſuppreſſis ſaepe vomitus & ſputum cruentum fiunt.

§. 19. Haemorrhagias ex cauſis internis praecedere ſolent laſſitudo, anxietas cum horripilatione. Haemorrhagia profuſa animi deliquium immo & mortem dicto citius ſaepe affert, ubi praecipue magna vaſorum ruptura in cauſa eſt; periculoſae caeterum ſunt ſanguinis profluvia ex pulmonibus, ventriculo, renibus veſica uteroque. Praecipue in gravidis profluvia ſanguinis quaecunque ſaepius repetita aut diu perſiſtentia hecticam, tabem, hydropem poſt ſe trahunt.

§. 20. Sanguinis profluvia e naribus, ex vaſis haemorrhoidalibus utpote minus periculoſa, aut critica non ſtatim ſiſtenda, niſi alia mala inducere velis. Si vero ex nimia vel diuturna

pro-

profuſione quid damni timendum, ad fluxum reprimendum accedimus venae ſectione, quae tamen nunquam inſtituenda in haemorrhagia ſymptomatica, ſcorbutica & ubi ſanguis nimis diſſolutus, nec non in ſumma debilitate, ſc. ubi pulſus debilis, labia pallida, aliaque quae arguunt nimiam jam ſanguinis copiam e corpore effluxiſſe. Tum etiam quies animi & corporis imperanda, aeger collocandus in aerem temperatum frigidiusculum, ligaturae cruribus & brachiis injiciendae, quae iterum ſucceſſive ſolvendae una poſt alteram juſtis intervallis remedia temperantia No. I. exhibenda. Cautiſſime vitatis calidis, aloeticis & ſulphuratis; alvus libera ſervanda clysmatibus refrigerantibus, dein ad uſum corticis deveniendum roborandi gratia.

§. 21. Praecavendum eſt extra paroxysmum ſanguinis profluvium 1mo. Venae ſectione circa aequinoctia inſtituenda, ſcarificationibus & hirudinum applicatione. 2do. Diaeta tenui, refrigerante, carnibus, vinoſis, ſpirituoſis, cereviſia fortiori, caffée, & chocolada vitatis. 3tio. Exercitio modico. 4to. Lenioribus laxantibus interdum uſurpatis. 5to. Praebio ſubinde cremoris tartari ad majorem orgaſmum ſedandum exhibito. 6to. Potu ſeri lactis vel aquae Selteranae cum lacte.

Cap.

Cap. IV.

DE NARIUM HAEMORRHAGIA.

§. 22.

Haemorrhagia antiquis, Epiſtaxis neotericis eſt ſanguinis vel modicus vel immodicus fluxus e naribus; ſi vero lente & guttatim tantum effluit, narium ſtillicidium dicitur, quod in febribus nunquam criticum nihilque boni praeſagit.

§. 23. Haemorrhagia narium autem eſt idiopathica, ſymptomatica & critica. Critica ſaepius in morbis acutis inflammatoriis, ſaepe vero funeſta in putridis, ubi nimiam arguit ſanguinis diſſolutionem, uti in variolis confluentibus, in quibus verum ſymptomatica. Criticam ſanguinis eruptionem; praecedere ſolent hypochondriorum tenſio, indeque difficilis reſpiratio, capitis gravedo dolorque colli tenſiones, aurium tinnitus vel & ſurditas, viſus obſcuratio, rubedo faciei, ſplendor oculorum, arteriarum pulſatio circa caput, vertigo, ſenſus gravativus circa radicem naſi, inſomnia turbulenta, narium pruritus calidus. Critica quoque fit in apoplexia, convulſione, tetano, cephalea aliisque capitis morbis, phrenitide caeteriſque inflammationibus potiſſimum hepatis ac lienis.

§. 24.

§. 24. Idiopathica propria eſt juvenibus, plethoricis, temperamento calido praeditis, infantibus euſarcis repletis ante variolarum eruptionem, in quibus plethoram minuit & variolas confluentes praevertit. Ad hanc autem evacuationem diſponit diaeta vinoſa, menſa lauta, aromatum abuſus, acrimonia peculiaris & excretiones ſanguineae conſuetae in ſequiori ſexu inprimis ſuppreſſae. Cauſae occaſionales aër nimis calidus, inſolatio, exercitium validum, animi pathema violentum, ſtrenua in veneris caſtris militatio, nec non ſaepiſſime impetus externus, hypocauſti calor, integumenta caput nimis gravantia & ſanguinem ad ſuperiora attrahentia.

§. 25. Saepius repetita corpus reddit infirmum, ad cacochymiam & hydropem diſponit, tabem inducit in debilioribus; rariſſime adeo profuſa, ut mortem inopinatam afferat, in quibusdam junioribus & praecurſor & prophylaxis phthiſeos ſaepe exiſtit. In ſenibus inſolita apoplexiae metum inducit.

§. 26. Neque critica, neque idiopathica temere ſiſtenda quandiu vires conſtent, animi deliquium accedens ſanguinis fluxum ſaepe ſiſtit. Caeterum ſi copioſa nimis, methodo paulo ante, capite de haemorrhagia in genere tradita cohibenda. Caeterum & topicis hic locus, nempe turundae ſolutione vitrioli aquoſa imbutae nares immittantur ad os cribroſum usque, vel & liquore ſtiptico WEBERII ſpiritu vini; in laeviori haemorrha-

morrhagia Linteum carptum ſiccum prodeſt. Frontale ſeu anacolema ex aqua frigida vel aceto, quod vel & nuchae vel ſcroto apponendum. Balnea tepida, pediluvia frigida hic quoque valent. Aqua gelida inopinanti adſpergenda, terror incutiendus, clysmata frigidiuſcula cum nitro injicienda. Veſicantia a dorſo appoſita laudantur a quibusdam in narium haemorrhagia. Caeterum quies aegro commendanda in aere temperato locoque obſcuriori capite erecto ſedeat. Evacuatio ſuppreſſa prudenter evocanda.

§. 27. Affectus ſcorbuticus ſtomacace dictus dum ſc. ſanguis diſſolutus e gingivis putridis vel ſponte vel ad levem attactum promanat cum ſignis ſcorbuti dignoſcitur, remediis primario morbo propriis curatur.

Cap. V.
DE HAEMOPTOE.

§. 28.

Si ſanguis floridus ſpumoſusve cum levi tuſſicula pectorisque calore, prurituque & faucium titillatione e pulmonibus expellitur, haemoptoes audit. Levior affectus dum excreando e faucibus fit, ſputum dicitur cruentum, neque etiam haemoptoes dicenda ſanguinis ex naribus in fauces delapſi excretio, quae ut plurimum nigra

gra grumoſaque eſt. Sic & Haemorrhagia, quae aliquando fit e vaſe in faucibus latente, qualem & van Swieten in ſe ipſo & ego ſemel in viro quadragenario vidi a neglecta venae ſectione per multos jam annos conſueta. In variolis mortem praenuntiat.

§. 29. Cauſa praediſponens ſola plethora aliquando, indeque minus periculoſa quamvis copioſior in menſium emanſione aliquando periodica obſervata eſt. Aetas juvenilis, pectoris thoracibus conſtrictio, vita ſedentaria pro laborioſa commutata; occaſionem praebet aer calidus vel frigidus nimis, potus inebrians, animi & corporis nimius motus, a nimia agitatione & pectoris compreſſione aliquando in infantibus viſa, a cantu validiori, niſu vehementiori, ponderum ſupra vires elevatione, tubarum inflatione, a continuo ſaepe ejulatu absque lacrymarum effuſione, ſternutatione vehementi, riſu, pectoris ictu, lapſu, victu acri, duro ſalino, balneis nimis calidis, quae omnia ſanguinem commotum in pulmones cogunt & haemoptoen excitant accidentalem, quae ſaepiſſime absque ulla peſſima conſequentia curatur.

§. 30. Caeterum haereditaria datur, quae dein habitualis fit in juvenibus ab anno 18 ad 36. praeſertim ſi pectus habent anguſtum, collumque longum, praematura utuntur venere, deteſtandave manuſtupratione familiaris quoque quibus pectoris mala conformatio, puellis quibus

cutis

cutis color amoene roſeus; foeminis debilioribus per partum crebrum, lactationem, lochia & menſtrua nimis profuſa.

§. 31. Anxietas, cordis palpitatio, ſaepeque ſpirandi difficultas, dolor acutus gravativusve in ſterno fixus, ſalſus ſaepius in ore ſapor praecedere ſolent, mors ſaepiſſime ſubitanea ſi ex pulmonibus ulceroſis ſanguis rutilus ſolutusve erumpit, ſequitur; quod ſi ſanguis nigricans excretus fuerit venam arguit ruptam in pulmone, qualis haemoptoes minus periculoſa aliquando obſervatur in ſenioribus. In junioribus autem ut plurimum pediſſequam habet phthiſim.

§. 32. Ad curam Haemoptoës, ſi non in debilitatis nimis exhauſtisve, ſive ſanguinis ſive aliorum humorum evacuatione, requiritur Venae ſectio aliquoties repetita, praeſertim ubi plethora, pulſus fortis, aetas juvenilis in talo vel in brachio celebranda. Pediluvia tepida, ligaturae extremis injectae commendantur. Remedia ſunt nitroſa temperantia, potus frigidus acidulatus; alvus ſollicitetur clysmatibus, catharſis enim hic minus apta. Opium a quampluri- mis in compeſcenda haemoptoë laudatum, olim tali doctrina imbutus quoque exhibui, ſed ſaepius cum ſiniſtro eventu, cum inde augeretur potius quam compeſceretur fluxus; unde ab eo prorſus abſtinui in paroxysmo haemoptoico, ubi ſanguinis miſſioni propter debilitatem, habitum

nimis

nimis cachecticum nullus locus minutas doſes radicis ipecacuanhae vel & tartari emetici commendat Mackbreid. Veſicantia etiam inter ſcapulas applicata deſideratum effectum hic praeſtitiſſe teſtantur exempla.¹ Cortice peruviano demum pulmones roborandi. Sanguis extravaſatus totus prudenter bechicis exhibitis ejiciendus, ne putrescendo vicina corrumpat, tabemque certo certius inferat; tuſſis ſi remanet fluxu ſanguinis ſedato, oleo ſeminis lini prudentique uſu laudani ſedanda.

§. 33. Diaetam quod ſpectat ſive curatoriam ſive prophylacticam, conſiſtit praecipue in phlebotomia frequenter inſtituenda, in victu parco, tenui, ex oryza, ſagu, hordeo, fructibus horreis, potu aquoſo, demulcente frigidiusculo, ex aqua Selterana cum lacte, lacte ebutyrato, vinoque rubro aquae mixto interdum conceſſo. Corpus neque veſtimentis neque ſtragulis onerandum; equitatione, ambulatione modice exercendum in aere ſereno, frigidiusculo matutino.¹ Pedes tibialibus craſſioribus ocreisque contra frigus muniendi, diaeta calida, aromatica, ſalina, vinoſa omnino fugienda.

Cap. VI.

DE VOMITU CRUENTO SEU MORBO NIGRO.

§. 34.

Sanguis ruber potiusve ater per oeſophagum cum vi, ſudore frigido, animique deliquio interdum rejectus vomitum conſtituit cruentum aut morbum nigrum Hypocratis & Tissoti.

§. 35. Praecedunt hanc evacuationem dolores ad ſcrobiculum cordis, umbilicum, dorſum, poſt paſtum, pondus ventriculi, anxietas, quae excipit interdum ſanguinis ſatis floridi, interdum nigri, picei foetidique ejectio cum horum remiſſione pro tempore ſaltem, dein & per anum expelluntur grumi. Sanguis vero purus floridusve hac via ejectus, triſte tibi dabit augurium. In paroxyſmo facies eſt cadaveroſa, pulſus vacillans.

§. 36. Cauſa praedisponens eſt vaſorum ventriculi & inteſtinorum infarctus, praeſertim in haemorrhoidariis, melancholicis & hypochondriacis, nec non in menſium emanſione & ubi venae ſectio conſueta neglecta. Cauſae remotiores laxitas vaſorum, exercitii defectus, corporis curvatura continua in ſtudioſis, ſcriptitantibus, netricibus familiaris. Potus tepidi caffee, ſpiri-

tuum

tuum ardentium abuſus, emëticorum antimonialium praecipue repetitus nimis uſus.

§. 37. Subito ſatis oritur aliquando ex animi pathemate poſt gravem iram, ex gravioribus conatibus pondere levando, lapides movendo, ex externis laeſionibus, viſcerumque contuſionibus, horumque vitio, ſcirrho, ulcere, ex aortae aneuriſmate, ex metaſtaſi, ab hirudinibus in potu deglutitis, ex medicamentis draſticis, venenis, ex copia demum ſanguinis deglutita poſt narium haemorrhagiam, quae nihil mali protendit; quae vero in febribus putridis a ſanguinis nimia diſſolutione oritur, lethale eſt Symptoma.

§. 38. In medela caute & non niſi robuſtis vena ſecanda; hirudines vero apponi poſſunt in haemorrhoidariis. Prophylactica autem phlebotomia in ſemel curatis quam maxime proficua. Emetica etiam hic nocent, niſi ubi a ſanguine deglutito poſt narium haemorrhagiam, vel ubi hirudines in potu deglutitae. Cathartica leniora hic potius conducunt, praecipue ex rhabarbarinis. In neonato vomitus cruentus a cauſa ignota ſyrupo rhei ſedatus fertur; enemata frigidiuscula injecta proſunt. Fomenta caeterum ex vino rubro abdomini applicata commendantur; ex aceto frigido proficua inveni, interne exhibito Julapio No. 2. praeterea quies in lecto neceſſaria, corpore leviter tantum erecto. In diaeta cibus

 tenu-

tenuis e regno vegetabili, potus ex hydrogala, decocto tamarindorum parvis hauſtibus conducit.

Cap. VII.

DE FLUXU HEPATICO.

§. 39.

Fluxus hepaticus dicitur apud Medicos, quamvis minus apte, materiae mucoſae, bilioſae, ſanguinolentae, carnium loturae haud diſſimilis, ſubinde ſatis foetidae, plerumque ſine magno dolore ex viſceribus abdominalibus vitiatis, ſcirrhoſis, ulceroſisve per canalem inteſtinalem excretio. Quibusdam vero non ens cum diarrhoea cruenta confunditur; aliquando Dyſenteriae exiſtit pediſſequa, aliquando ſcorbuti eſt productum, non nunquam a draſticorum inſurgit uſu.

§. 40. Affectus ut plurimum eſt chronicus, maciem inducens, pallorem cachexiam, mortem exulceratis inteſtinis humoris acrimonia; hunc videtur fuiſſe morbum Jorami regis Judaeae, de quo legitur in ſacris litteris, quod cum *Jehovam* offendiſſet, *Jehovam* eum tam inſanabili morbo inteſtinorum affeciſſe, ut continuatis diebus, peracto biennii ſpatio, ejectis cum morbo inteſtinis mortuus ſit morbo graviſſimo. Mead ſup-

ſupponit gravem fuiſſe Dyſenteriam, qua hic cum binis adhuc regibus impiis Antiocho Epiphane & Agrippa extinctus fuit. Atqui ut pace tanti viri dicam, raro vel nunquam Dyſentericus affectus tam diu durat. Fluxus hepaticus autem palliatur potius quam curatur rhabarbaro & infuſo millefolii. Martialia, cortex peruvianus, aqua calcis laudata a quibusdam raro quid boni praeſtant, ubi viſcera admodum laeſa.

Cap. VIII.

DE HAEMORRHOIDIBUS.

§. 41.

Haemorrhoidales affectus mihi videntur dividi poſſe in haemorrhoidum molimina, condylomata ſeu mariſcas, haemorrhoides nimium fluentes, intempeſtiveque ſuppreſſas.

§. 42. Haemorrhoidum molimina ſeu conamina voco, quando aeger in aetate virili ſeu ſeneſcente nunquam antea haemorrhoidum fluxum paſſus, dolores circa lumbos, os ſacrum inconſuetos ſubinde ſentit, cum ventris torminibus, borborygmis, prurituque moleſtiſſimo circa anum. Raro admodum in junioribus & quidem malo omine ſemper occurrit, utpote infirmae valetudinis ſignum. Poſt ſexageſimum aetatis annum iterum evaneſcere ſolent.

 §. 43.

§. 43. Condylomata ſeu mariſcae circa podicem fiunt, dum vaſa ſic dicta haemorrhoidalia a ſyſtemate venarum portarum oriunda ſanguine craſſo nigroque diſtenduntur, neque ſanguinem fundunt & a medicis vocantur haemorrhoides coecae, quae iterum ſunt internae, dum hi tumores conſpici non poſſunt, ſed vel ex moleſto teneſmo in exoneranda alvo, vel digito in anum immiſſo de horum praeſentia concludimus; vel externae, quae foras conſpiciuntur & quidem ad ovi columbini volumen aliquando: a quibusdam ſaccatae audiunt.

§. 44. Fluxus haemorrhoidalis vero conſiſtit in ſanguinis floridi nigrive ex arteriis ſeu venis circa finem inteſtini recti proreptantibus, ut plurimum poſt alvinam excretionem, aliquando una cum foecibus alvinis ſine dolore, quo a dyſenteria diſtinguendus; neque etiam pro haemorrhoidum fluxu ſumenda excretio cruoris foecibus mixti, quae ſaepiſſime contingit in difficili dentitione, infantes enim rariſſime ſi unquam haemorrhoidibus laborant per veſicam urinariam non raro fluit urina ſanguinolenta periodice, praepoſtere quidem.

§. 45. Suppreſſas voco haemorrhoides, dum in conſuetis vel ſolito minus vel omnino non & quidem ante ſenium haec evacuatio procedit, ſed tantum molimina vel & haemorrhoides coecas, vel quod pejus tetanum, febres, phthiſim, hydropem, maniam, paralyſim, icterum, apoplexiam, epilepſiam, vomitum cruentum, podagram,

gram, arthritidem, nephritidem calculoſam, aſthma excitant vel & hypochondriaca, melancholicaque affectio inde augetur.

§. 46. Fluxus haemorrhoidarius ſi non ipſe morbus, certe ſordidum incommodum, in plethora ſumma non nocet, ſi modicus, melancholicis prodeſt, inſanientibus, apoplecticis, nephriticis aliisve morbo chronico ſeu acuto laborantibus criticus fit, quin & a medicis coadjuvandus, uti & in iis, qui hoc fluxu periodico a plethora malisque gravibus inde oriundis immunes ſervari poſſunt.

§. 47. Accidentales & ſymptomaticae fiunt haemorrhoides variis de cauſis; ſic in foeminis producuntur a graviditate, partu difficili, a menſium ceſſatione in vetulis, unde & in viris a ſanguinis evacuatione ſolita vel naturali vel artificiali ſuppreſſa aut neglecta. Hic referenda ſunt fonticuli & ulcera antiqua exſiccata. Tum fiunt a foecibus induratis, diaeta ſicca, dura, farinacea, conſuetudine latrinis diutius inſidendi, pravoque more habituve alvi diutius remorandae, inteſtini recti frequenti prolapſu: equitatione continua, a vitiis variis partium genitalium, viarum urinariarumve, inteſtini recti, inde ſaepe albae & mucoſae apparent, non boni multum promittentes. Ab irritatione quacunque harum partium; a ſuctu hirudinum repetito.

§. 48. Diſponit vero ad hos affectus, uſus digeſtivorum, lactis ſulphuris, aloëticorum, allii; vita ſedentaria, potus tepidorum, veneris exceſ-

ſus, vini rubri mangoniſati abuſus, medicamenta purgantia, moventia, ſtimulantia nimis, animi affectus vehementiores, moeror praecipue atque ira.

§. 49. Conomina haemorrhoidalia in nunquam antea paſſis, venae ſectione revulſoria in brachio potius praepedienda; prophylactica quoque bis vel ter in anno repetita, corporis exercitio, diaeta tenui, abſtinentia a cibis ſalitis durioribus, potu vinoſo, caffée, tum & medicamenta temperantia nitroſa in uſum vocanda. Ad haemorrhoides coecas tumentesve topica laudantur, praecipue cataplasma ex pomis acidis in vino rubro. Suppoſitoria ex ſucco liquiritiae inſpiſſato; quod ſi diſcuti nolint unguentum de linaria applicandum, uti & cataplasma ex ſemine foenugraeci in lacte cocto, calideque per ſacculos adhibito. Hirudines apponendae vel & arte chirurgica condylomata incidenda, abſcindenda vel deliganda. Aliquando inflammantur & ad ſuppurationem tendunt. Maturius autem quam alibi abſceſſus aperiendus, ne pure collecto fiſtula ani fiat. In prophylaxi multum valet frigida quotidiana ablutio & applicatio.

§. 50 Fluxus haemorrhoidum nimius quamvis rariſſime occurrat, eum mors ſubita inſecuta aliquando fertur, ob ſummam debilitatem, tabem & hydropem inde non raro metuenda, ſiſtitur remediis temperantibus, acidis ingeſtis, tum & emetico ex radice ipecacuanhae vel ex tartaro ſtibiato, pannis aceto vel aqua frigida vel vino

rubro

rubro madidis ad lumbos & ad perineum appoſitis; epotis aquis Selteranis, Spadanis, Pyromontanisve, infuſoque millefolii theae in more, demum & ſuppoſitorio ex cucumeribus ſaepius applicato.

§. 51. In conſuetis & a ſuppreſſione hujus evacuationis male habentibus, adjuvatur fluxus per venae ſectionem in Saphaena, vini hauſtum ad hilaritatem, corporis exercitium, choreas, ſaltationesve modicas, pediluvia tepida, hirudinum applicationem ad anum, pilulas Becherianas, Laxantia No. 3. per aliquot dies ſumpta, tincturam martis Ludovici ad tria cochlearia de die.

Cap. IX.

DE MICTU CRUENTO.

§. 52.

Sanguis purus, vel urina mixtus, grumoſus, qualis praecipue in veſicam colligitur, vermicularisve forma per urethram excretus, ad matulaeque fundum ſe dein deponens, mictus audit cruentus. Hic quoque referunt authores ſeminis cruenti ejaculatio ex nimia venere in libidinoſis ſaepiſſime, vel rarius ex diuturna continentia in iis, qui Gonorrhoeam olim paſſi. Mictum cruentum praecedere ſolet dolor gravati-

vus vel tenſivus circa renes, viſcera abdominalia, veſicam, perineum prout ex hoc vel illo loco ſanguis fluit.

§. 53. Cauſae praecipue talem mictum producentes ſunt haemorrhoidum error vel earundem ſuppreſſio in conſuetis; inde & aliae haemorrhagiae retentae; cantharides vel applicatae vel ingeſtae, inde & diureticorum fortiorum abuſus. Variolae aliaque exanthemata in morbis putridis, Lithiaſis praeſertim veſicalis, motus nimius, indeque vomitus, ponderum ſupra vires elevatio, equitatio, ſaltatio, veneris exercitium immodicum, vis externa, acre quodvis rodens, inde non raro in affectibus ſpasmodicis dolorificisve nimis abdominis. Demum affectus & vitia venerea circa genitalia, vermes in viis urinariis.

§. 54. Diſpoſitio oritur ex abuſu diureticorum, potuum tepidorum, vinorum generoſiorum, a repellentibus in morbis cutaneis & articulorum male adhibitis.

§. 55. Cura variat pro varietate cauſae, ſi enim haemorrhoidum vicarius exiſtit mictus cruentus, methodo capite praecedente tradita omnino tractandus. Si a cantharidibus harum uſu prius ſemoto & lacticiniis & mucilaginoſis curatur. In variolis ubi ſemper ſymptomaticus, raro enim admodum criticus eſt mictus cruentus, putrida ſanguinis diatheſis acido vitrioli, decocto corticis aliisque antiſepticis corrigenda.

Quae

Quae a Lithiaſi oritur, non niſi calculo extracto curatur. Qui a motu nimio, ſola quiete oppugnandus, diaetaque tenui, caute aromatibus, alliaceis, caepis, aſparagis, vinis oligophoris, cereviſiisque fortioribus, caffée potu vitatis. Dorſum non nimis pannis aut veſtimentis laneis tegendum & ſic de caeteris ad primarium morbum attendendum. Ubi vero vermes adſunt in viis urinariis, injectionem e ſaturato decocto radicis valerianae commendat Sagar; grumi & thrombi ſanguinis in veſica, mellitis diluentibus, infuſo florum arnicae injectis ſolvendi & expellendi, vel catheterismo eximendi, ne nucleum praebeant calculo generando.

§. 56. Caeterum mictus cruentus nunquam periculo caret, praeſertim ſi ſaepe revertitur; in ſenibus raro curabilis, in plethoricis venae ſectio ſive curative ſive prophylactice revulſoria in brachio ſaepe utiliſſima. Medicamenta quod attinet catharticum rhabarbarinum laudatur. Serum lactis aluminoſum, ubi mictus cruentus copioſus, conducit nec non remedium No. 4. & mictu cruento ſedato roborandi cauſa valet aqua Selterana, Spadanave cum lacte.

Cap. X.

DE MENSIUM OBSTRUCTIONE ET CHLOROSI.

§. 57.

Si ſanguis, qui periodice ſingulis menſibus in virginibus vel foeminis neque lactantibus neque gravidis a ſecundo ad ſeptimum ſeptenarium aëtatis fluere ſolet, a quacunque cauſa vel omnino inhibetur, vel tardius aut parcius quam par eſt procedit, menſium obſtructio audit.

§. 58. Menſium vitia autem defectu peccantia, tria praecipue mihi veniunt recenſenda, emanſio ſcilicet, ſuppreſſio & retentio. Emanſionem voco, dum virgines morbo laborant ob omnimodam menſium deficientiam, horumque evacuationem nunquam a natura inſtitutam. Talis emanſio virginibus ſaepe noxia. Viraginibus innocua. Quae vero fit gravidis, lactantibus nec non effoetis & vetulis lunaris hujus fluxus ceſſatio plerumque ſalutaris; ſaepe enim inde vetulae pingueſcunt & vegetae fiunt. In gravidis & junioribus, vel in foetus nutrimentum vel in lactis confectionem conſumitur ſanguis menſtruus. Suppreſſio mihi dicitur dum ante tempus ſingulis periodis conſuetum, ob errorem forſan commiſſum ſiſtitur: hic etiam ſubintelligendum

dum volo, dum tardius, difficilius parciusve ſolito procedit fluxus. Retentio demum eſt, dum nimis cito ante aetatem ceſſant menſes in vetulis, ut inde varia inſurgant incommoda.

§. 59. Neque vero morboſa cenſenda ſuppreſſio, quae fit poſt partum morbumve, aliam evacuationem largam una alterave vice; haec enim nulla eget medicina, immo quaecunque hic adhibita nocentiſſima. Naturae ergo ſoli prorſus negotium committendum, fertur enim ſine ullo incommodo, immo & magno ſanitatis beneficio.

§. 60. Cauſae proximiores quaeruntur in vaſorum rigiditate & aucta ſolidorum reſiſtentia, in ſanguinis & humorum ſpiſſitudine & lentore, inque plethorae imminutione. Priores virginibus & junioribus magis propriae; rigiditas vero una cum ſanguinis defectu vetulis frequens. Remotiores magis ſunt genitalium concretio, aliaque uteri vitia, nec non aſcarides in inteſtino recto, uti aliquando obſervatum.

§. 61. Occaſionem praebent vita ſedentaria, victus crudus, craſſus, potus tepidi abuſus, potus parcus, lacticinia diu uſurpata, extremorum refrigeratio, uti & eorumdem nimius calor ex carbonibus ſuppoſitis hyemali tempore, abdominis nimia compreſſio vel ex corporis ſitu vel ex veſtimentis arctioribus, moeror & amor clandeſtinus.

§. 62. Menſium defectus producit laſſitudinem, dolores vagos, lumbaginem, cephalalgiam,

giam, tremores poſt corporis motum, anhelationes, indigeſtiones, ſodam, abdominis intumeſcentiam, ſpasmos & colicas in infimo ventre, nauſeas, vomitus, vomitum cruentum, haemoptoen, haemorrhoides, mictum cruentum, variasque haemorrhagias per loca minus conſueta. Varices fiunt crurum, cordis palpitationes, polypi, crurum oedemata, tabes. In vetulis autem a cita nimis menſium ceſſatione, topicae fiunt inflammationes, obſtructiones, ulcera varia, cacoëtha, ſcirrhi, cancri & morbi articulorum. In junioribus convulſiones, hyſterica paſſio, animi deliquium, ſterilitas.

§. 63. Praecipuus praeterea oritur affectus a menſium emanſione in virginibus, chloroſis dictus ſeu febris alba virginum, quod vitium ſecundum *Home* immerito a menſium emanſione diſtinguitur, cum idem ſit morbus, ideo & potius ad hanc claſſem quam ad cachexias referre placuit. Et hoc affectu praeſertim mihi videtur diſtingui poſſe menſium retentionem morboſam a graviditate, cum caetera ſymptomata dubia valde ſint, praecipue ad tertium usque menſem. Hic affectus vero ſtructurae debilioris eſt ſoboles & propriis ſignis mox enarrandis ſe manifeſtat.

§. 64. In chlorotico autem affectu praeter ſigna §. 62 recenſita, foedus adeſt cutis color, facies pallet, pupillae mire dilatantur, corpus languet, anxia fit reſpiratio, clandeſtinum veneris ſaepius adeſt deſiderium, pulſus eſt debilis cum febricula comite, pedes frigent, appetitus depravatur ciborum,

borum, picca & malaccia torquent, ſudor acidum ſpirat & coralia rubra geſtata, uti foeminis Batavis mos, inde exalbeſcunt teſte DE GORTER urina emittitur pallida, limpida, quae omnia ultra tertium menſem a graviditatis ſuſpicione extenduntur, & vel mala tractatione vel neglectu abeunt in phthiſim, hydropem, cancrum mammarum & uteri, mortemque ipſam.

§. 65. Ut cura rite inſtituatur, quam maxime attendendum ad varietatem cauſae, conſtitutionis temperamentive diverſamque aetatem, dum in virginibus menſes potius promovendi, in vetulis potius revellendi & venae ſectione parva repetita vero in brachio compenſandi.

§. 66. In rigiditate autem vaſorum emollientia, topica fomenta, oleoſa epota, injecta applicatave laudantur. Venae ſectio in brachio valet, in genitalium coalitione & concretione ſeu atretis, ſcalpellum chirurgicum optimum emenagogum. In ſanguinis lentore, ſpiſſitudine, emetica, purgantia rhabarbarina, aloetica, mercurialia; emenagoga ſpecifica, pilulae No. 5. & vinum medicatum No. 6. commendantur, uti & enemata, peſſaria ex ſtimulantibus; quamvis haec in virginibus minus congrua cenſentur. Frictiones quotidianae non negligendae. Uti & veſicantium, cucubitarum applicatio cum crurum ſcarificationibus. Vi electrica etiam menſium fluxum reſtitui teſtatur DE HAEN. Matrimonium legitimum ſaepius referandis menſibus optimum fuit inſtru-

men-

mentum. Demum pediluvia, ſemicupia, inſeſſus, aliquot dies ante periodum conſuetam profuere.

§. 67. Remedia decantatiſſima ſunt borrax, myrrha, aloës, mars, lac ſulphuris, aquae Spadanae, Pyromontanae; cortex peruvianus, praecipue in chloroticis. Menſtruorum negotium quoque promoveri ex uſu extracti ſtramonii teſtantur exempla. Olea aetherea rorismarini, ſuccini, ſabinae hic a quam plurimis laudata mihi ſuſpecta habentur ob ſummum quem excitant Orgasmum. Idem ſentiendum volo de Helleboro nigro licet a Meadio commendato. Opium in menſium difficultate cum doloribus concomitata remedium eſt princeps. In chloroticis a venae ſectione repetita, in plethoricis a ſtimulantibus calidis, martialibus abſtinendum, quibus potius ſalina media temperata ſubſtituenda. Demum in effoetis & vetulis ab emenagogis ſpecificis cavendum.

§. 68. Diaeta quoque adornanda eupepta tenuis, vitatis flatus excitantibus, acidis, potibus fortioribus. Concedi tamen poteſt potus vinoſus chloroticis interdum. Pro potu ordinario concinnetur thea medicata ex rad. gramin. ariſtoloch. rotund. veronic. alvus libera ſervanda vel ſale amaro cathartico ſubinde promovenda. Exercitium modicum quotidianum conducit. Animus ſit tranquillus hilarisque.

Cap.

Cap. XI.
DE LOCHIORUM RETENTIONE.

§. 69.

Si primis poſt partum diebus humor ſanguineus, ſenſim magis dilutus & ad Loturae carnium ſimilitudinem accedens, dein fere albeſcens, ex utero non fluit cum puerperarum incommodo, Lochia retineri dicuntur.

§. 70. Lochiorum imminutio & ſuppreſſio a variis cauſis vel in ipſis genitalibus, vel in humoribus & in toto corpore quaerendis fit, praecipue vero ab uteri inflammatione & vaſorum ſtrictura ſpasmodica. Remotiores cauſae ſunt animi pathemata, terrores, erroresque in ſex rebus non naturalibus ſcholae dictis.

§. 71. A lochiorum emanſione fiunt anxietates ſummae, capitis dolores, apoplexiae, vigiliae, coecitates, mania frequens, febres ardentes, inflammationes, purpura aliaque, quae ex menſium emanſione ſequi ſolent, convulſiones, mors. Diarrhoeae hic aliquando vicario ex almae naturae inſtituto obortae minime cohibendae.

§. 72. Lochiorum ſuppreſſio cum febri, temperantibus venae ſectione repetita, ratione habita ad morbi magnitudinem & virium conſtantiam, in brachio tractanda, vapores, fomenta,

epiſpaſtica hic optima uterina. Quodſi vero nulla adſit febris, affectusque mere ſpasmodicus ſit, optimum ſolamen affert remedium No. 7. aliquoties de die exhibitum.

CAP. XII.
DE FLUXU MENSIUM IMMODICO.

§. 73.

Si menſium fluxus periodicus ſolito frequentius redit, juſtam excedit quantitatem, & ultra aetatem fluere perſiſtit, vel diu jam ceſſans iterum pleno rivo inſurgit, ſic ut inde vires debilitentur functionesque laedantur, Menorrhagia ſeu menſium fluxus nimius audit.

§. 74. Cauſas agnoſcit proximas, laxitatem vaſorum uterinorum, ſanguinem tenuem & acrem. Remotiores, animi pathemata vividiora, iram, motum corporis nimium in aere aeſtuoſo, ſaltationes, mercurialium martialiumve abuſum, uti & tincturae helleborii nigri uſum; Balnea tepida ſaepius uſurpata, potus ſpirituoſos, quae omnia prae caeteris laedunt hyſtericas nervis irritabilibus & ſenſibilibus valde donatas. Vita ſedentaria gaudentes, acrimonia ſcorbutica, ſcrophuloſa, venerea infecta, concretionibus polypoſis,

poſis, molis & uteri ulceribus, aliisque vitiis affectas, easque, quae ſaepius peperere.

§. 75. Menſium fluxus nimius anorexiam inducit, nervorum tremorem, animi dejectiones, corporisque ſummam debilitatem, quae ſaepiſſime excipit cachexia & hydrops; in vetulis difficillime eſt curatu & maximum protendit periculum, utpote uterum cancroſum arguens.

§. 76. Cura aggredienda vero venae ſectionibus revulſoriis repetitis in plethoricis, catharticis lenioribus, corporis & animi quiete, abſtinentia a coitu, linteis aceto & aqua frigida madidis ad lumbos, abdomen & circa pudenda adhibitis, quae tamen, dum a naturali calore excaleſcunt, amovenda iterumque renovanda. Injectionibus ex aluminis ſolutione aquoſa in rheumaticis, ſcrophuloſis fonticuli laudantur. In menſium fluxu immodico commendat HIPPOCRATES cucurbitulas cum ſcarificationibus ad mammas. Ubi adſunt nauſea, cardialgia, aliaque ſigna Saburrae, in primis viis ſtabulantis, emeticum optimum remedium erit in menorrhagia nimia. Rariſſime prudentiores Medici in hoc pathemate adſtringentibus utuntur, quia nociva cenſentur. Atqui roborantia ex cortice peruviano cum acido vitrioli & pauco laudano liquido forma decocti data quam maxime juvant, ſi uterus ſanus.

§. 77. Diaeta in menſium fluxu immodico inſtituenda ex alimentis eupeptis, carne vitulina, gallinacea, juſculis, acetoſella, malis ci-

treis, tamarindis, acidulatis, oſtreis, lacte, chocolada. Cautiſſime vitatis aromatibus, ſalitis fumoque induratis potibusque ſpirituoſis.

CAP. XIII.

DE ABORTU ET MOLA.

§. 78.

Abortus eſt foetus immaturi & ante legitimum partus tempus & plerumque ante ſeptimum geſtationis menſem excluſio, ex ſubita vel violenta uteri conſtrictione, quam excipit ſeparatio placentae ab utero. Hincque foetus commercium cum matre tollitur, ſi ante tertium geſtationis menſem contingit, effluxio, effuſio & deperditio audit.

§. 79. Abortus cauſae remotiores in matre, foetu, utero partibusve adjacentibus quaerendae. In matre accuſantur plethora, nutrimenti defectus, partium nimia laxitas, animi pathemata, ſpasmi, terrores improviſi, vomitus, ſternutatio, tuſſis valida, motus corporis inordinati, vehementiores, clamores, ſaltationes, ictus, preſſio abdomini illata, emenagogorum uſus, brachiorum nimia extenſio aut elevatio, vehemens rei non potiundae deſiderium, purgantia draſtica aſſumpta, odor tetricus, alvi conſtipatio, arctae ventris veſtimentorum ope conſtrictiones, lapſus one-

oneris geſtationes, abortus & partus ſaepe praegreſſus. Praeterea diſpoſitio hereditaria, ſunt enim ad abortum procliviores a matribus in abortum pronis procreatae. Diatheſis ſcorbutica, ſcrophuloſa, venereae acrimoniae infectio, morbus acutus, ſumma nervorum mobilitas & irritabilitas, quorum omnium vim intendunt coitus frequens, vita ſedentaria, menſa lauta otiumque. A vitioſa tempeſtate aerisque vitio occulto epidemice foeminas abortum paſſas fuiſſe aliquando viſum.

§. 80. In foetu, moles nimia, motus vehemens, numerus duplex, ſitus depravatus, mors; placentae atrophia, funiculi umbilicalis, nec non membranarum foetum obvolventium ruptura. In utero tandem ipſo, nimia ejus anguſtia, rigiditas, dilatatio impedita, ſcirrhus aliudque vitium quodcunque, molae, fluor albus, tumores demum partium vicinarum uterum comprimentium.

§. 81. Abortus ſaepe quidem inopinato & absque ulla prophaſi cognita aut ſigno ullo praevio invadit. Interdum vero praeſagire licet ex praegreſſis; ex tempore, quo olim ſaepius contigit; notum enim eſt, abortum ad abortus diſponere, darique foeminas, quae ad certum geſtationis tempus abortum fere ſemper patiuntur. Tum ex horripilationibus ſaepius recurrentibus, frigore abdomen occupante, mammarum detumeſcentia, calore faciei ſubito mutato, lumbagine, doloribus colicis, laterum ventrisque con-

ſtrictione ſpasmodica, doloribus levibus prementibus circa uteri vaginam, effluxu humoris cruenti vel materiae pituitoſae ſanguinolentae, ſubſtantiaeve fibroſae ex genitalibus.

§. 82. Abortus ad abortiendum magis magisque diſponit, primis quatuor graviditatis menſibus magis familiaris, placentae ſolutionem inevitabilis ſequitur. Ad certum graviditatis tempus revertens arguit ſpaſticam uteri conſtrictionem vel ejusdem indurationem, ſterilitatem inducit ad dies vitae, tumorem ventris ingentem, molarum generationem, excreſcentias uteri fungoſas hydropemque.

§. 83. Abortus praecavetur potius quam curatur; ubi enim ſanguis copioſe jam effluxerit, ibi nullo modo abortus praepediri poteſt. Quodſi vero orificium uteri clauſum adhuc, carminativis per os ingeſtis, per anum injectis datur locus. Venae ſectio revulſoria ſemper neceſſaria in plethoricis, quae vero in debilibus ſemper nocet. In quibus, roborantibus, cortice peruviano & acido vitrioli potius cavetur abortus. Caeterum temperantia bene audiunt. Opium ubi tuſſis vexat inanis & in ſumma nervorum mobilitate praeſtantiſſimum auxilium.

§. 84. De mola hinc inde mentione facta, operae pretium mihi videtur, quaedam circa hanc dicenda. Dicitur autem maſſa informis carnoſa, dura absque oſſibus aut cartilaginibus, proprio involucro tecta absque placenta vel organis

nis aut viſceribus, plerumque originem debere creditur relictis in utero fruſtulis placentae.

§. 85. Mola graviditatis omnia producit phaenomena & ſaepiſſime Medicos quamvis exercitatiſſimos fallit, cum vero non impediat veram conceptionem, protractiorem aliquando inde fieri videtur, dum ab imaginaria & falſa ſupputationem facere ſolent mulieres. Caeterum ſi ſolae, plerumque circa quartum menſem expelluntur, ſpemque conceptam impraegnationis eludunt; poſſe tamen ad plures menſes, immo & annos in utero geri, perhibent quidam.

§. 86. Molae praeſentiam arguunt, devolutio ab uno in alterum latus, lapidis ad inſtar cum inſigni ponderis ſenſu. Ventris tumor in omnem dimenſionem aequaliter diſtentus, veri lactis in mammis defectus, motus vitalis deficiens. Notandum vero, aliquando motus matricis inde excitari convulſivos, abnormes, ut de animalibus in utero monſtroſis hoſpitantibus ſibi perſuadeant foeminae & adſtantes. Remedia ſi quae adhibenda, ubi nulla graviditatis ſuſpicio, ſunt venae ſectio in talo; purgatio fortis, ecbolica, emenagoga, capite de menſium emanſione recenſita.

Cap. XIV.

DE UTERI HAEMORRHAGIA.

§. 87.

Solent foeminae non raro variis de cauſis & graviditatis tempore & poſt partum, haemorrhagia uteri copioſiore affici, qua de vita, ſi ſuppetiae cito non afferuntur, quam maxime periclitantur. Periculoſa autem cenſetur quam maxime in gravidis, ſi ex fundo uteri fit. E vagina enim haud raro ſine periculo eſt, immo in quibusdam ſine ullo incommodo aut abortus periculo, toto geſtationis tempore menſes fluunt.

§. 88. Cauſae uteri haemorrhagiae in genere, polyporum, hydatidum, molarum excreſcentiarum fungoſarum praeſentia in utero. Quae fit aliquando à partu praecipue laborioſo, originem habet in matricis fundi depreſſione, inverſione, uteri inertia, atonia, ejusve dilatatione permanente ob foetum forſan alterum tandem in ejus ruptura & dilaceratione.

§. 89. Ante partum occaſionales & externas magis agnoſcit cauſas ſc. ictus, caſus, ponderum elevationem, violentiasque alias, animi paſſiones validiores, iram, quibus placenta ab utero ſolvitur, pedem gliscentem per lubrica viarum, riſus immodicus, vertebrarum luxationem, odorem

rem e lucerna extincta, paſſionem hyſtericam, diarrhoeam, teneſmum & abortum ſaepius toleratum.

§. 90. Quo partus inſtantis terminus propior, eo periculoſior uteri haemorrhagia, uti quae ex vaſis majoribus fit, quae mortem ſaepiſſime inducit ſubitam, qualem vidi olim in foemina plurium prolium matre, elapſis tribus ſeptimanis poſt abortum, quae a vi externa periculoſa valde; non adeo ſevero autem judicandum de lochiorum fluxu copioſiori, qui ſaepiſſime fit poſt abortum, neque raro poſt partum legitimum, ob vaſorum nimiam laxitatem, ſanguinis grumos aut placentae fruſtulum in utero remanentia. Plerumque enim extranei eductione per manum obſtetricantis, ſitu horizontali, temperantibus vel & roborantibus feliciter ſiſtitur.

§. 91. Magis negotii requiritur ad haemorrhagiam uteri veram ſive in gravidis ſive in puerperis, & primo, citiſſima foetus obſtetricantis manu eductio medetur Haemorrhagiae uteri in gravidis, ubi placenta ſeparata & orificii ſufficiens dilatatio. Abortu autem facto placentaque extracta parturiens in loco frigidiuſculo reponatur. Ubi vero haec non apparent, quies imperanda, venae ſectio, ſi vires conſtant, revulſoria celebranda, medicamenta temperantia praeſcribenda.

§. 92. Ad praecavendam uteri haemorrhagiam poſt partum, multum valet decubitus parturientis in aere frigidiuſculo amploque conclavi, proſunt quoque faſciae circa abdomen modice ſtrictae. In ipſa jam praeſente haemorrhagia autem, raro quid boni ſperandum a venae ſectione, nec non a ſpirituoſis & vinoſis, quibus perperam vulgo utuntur, ſanguinem enim movent & haemorrhagiam augent. Cardiaca hic optima replentia: jura carnium dilutiora, potus frigidiuſculus acidulatus.

§. 93. Ad topica quod attinet, ligaturae antiquis probatae hodierno tempore rejiciuntur, praeſertim cum HAMILTON injecto cruribus Tourniquet menſium fluxum promoverit. Magni autem fiunt lintea contorta in peſſum formata, ſolutione adſtringente, aluminis aquoſa vel aceto puta, aut ſpongia iisdem imbuta, atque genitalibus immiſſa. Stiptica vero & ſaturnina interne nocentiſſima habentur. Tutiora ſunt opiata, corticis decoctum cum acido vitrioli acuatum, fluxu profuſiori utcunque ſedato bonos mihi praeſtitere effectus pilulae No. 8. aliquoties de die per quindecim dies exhibitae.

CAP.

Cap. XV.
DE VOMITU.

§. 94.

Expulſio violenta faſtidioſa in ventriculo vel & inteſtinis contentorum per os, a motu convulſivi ſtomachi partiumque adjacentium & motu periſtaltico inteſtinorum inverſo, vomitus audit Medicis. Nauſea & vomitus gradu tantum differunt; nauſea enim conatus eſt tantum vomendi, fereque ſemper vomitum praecedit, easdem agnoſcit cauſas, eandemque requirit medelam.

§. 95. Cauſa remota eſt multiplex & admodum vaga, unde vomitus eſt idiopathicus, prout vitium latet in ipſo ventriculo, ejusve parietibus; ſympathicus, ſi per nervorum fit conſenſum. Symptomaticus, ſi ab alio morbo, vel poſt priorem morbum ſuperatum a metaſtaſi inſurgit. Criticus raro occurrit, niſi ſic vocare velimus vomitum a polyphagia.

§. 96. Cauſae vero in ipſo ventriculo haerentes vel internae & quaſi indigenae ibidem ſunt, vel externae & tanquam advenae veniunt, & tranſitoriae fiunt. Ad priores referuntur inflammationes aliaque vitia, ſcirrhus, tumores, indurationes in ipſo ventriculo vel viſceribus vicinis. Bilis copia & indole peccans ad poſteriores

res numerantur, venena, ciborum quantitas nimia, lactisque in infantibus, nuclei cerasorum, medicamenta draſtica, qualitas prava aerisve ingeſtorum.

§. 97. Symptomaticus oritur vomitus in hernia incarcerata, a cartilagine xyphoide inflexa, graviditate, menſium ſuppreſſione, renum calculo, veſicaeque felleae calculo, vermibus ſeu lumbricis inteſtinorum. A variolis & morbillis erumpentibus, in tuſſi convulſiva habitualique hectica, ſicca. Per ſympathiam fit vomitus in capitis laeſionibus ejusque morbis, in animi pathemate, quale eſt praecipue ira & terror. Vectione in rheda praeſertim retrorſum ſedentibus, navi, cunarum ſuccutione in infantibus; a metaſtaſi & arthritide retrocedente, achoribus ſcabieve repulſis. Ab imaginatione, idea rei ſpurcae, ſordidae, a miasmate putrido, carbonum fumo ſeu vapore, odore mephitico, a nimia fibrarum irritabilitate in hyſtericis, vomitus leviſſima oritur de cauſa, nulla materia maligna vel noxia excreta. Ab abdominis refrigerio vomitus matutini pituitoſi bibacibus non infrequentes ſunt.

§. 98. Vomitum praecedere ſolent, nauſea, anxietas, refrigeratio circa faciem ejusdemve pallor, ſudor frigidus, faſtidium, ſtomachi morſus, inquietudo, vertigo tenebricoſa, labii inferioris tremor, ſaliva copioſior in os affluens, exputitio crebra, liquoris limpidi copioſa eructatio.

§. 99.

§. 99. Vomitus conſequentiae praeſertim chronici & habitualis, digeſtionem laedit, defectum nutritionis malaque inde pendentia inducit. In gravidis abortus, haemorrhagias, in aliis haemoptoém, congeſtiones circa caput, apoplexias affert. Ophthalmiam refractariam indeque abſolutam coecitatem inſequutam vidi. Praeterea visceris ruptura, uteri prolapſus, vaginae & ani nec non herniarum productio in debilioribus fiunt, dum ſuccuſſionibus violentis & repetitis viſcera nimis laceſſit.

§. 100. Caeterum vomitus ſaepiſſime molimine naturae ſalutaris valde inſtituitur, quo noxium in ventriculo contentum expellitur, antequam inde morbi ſaepius inſuperabiles inſurgant. Ideo non ſemper ſtatim compeſcendus aut inhibendus, ſed potius tepidis aquoſis & oleoſis, oxymelle ſcillitico immo & emetico promovendus. Inde enim regula vomitus vomitu curandus. Sic a bilis copia qui oritur in febrium initio, oris amarore linguaque ſordida dignoſcendae, radice ipecacuanhae & tartaro emetico juvandus. A nimia alimentorum copia, aqua tepida ſeu potu theae, & abſtinentia curatur. Cum vero diarrhoea ſponte oborta ſaepiſſime vomitus ceſſet, in omni vomitu, alvus quantum fieri poteſt aperta ſervanda.

§. 101. Vomitu non autem curandus vomitus, qui ab inflammatione ventriculi, quique ſtercoreus ab ileo, qui a ventriculi ſcirrho, ubi mox a deglutitione aut brevi poſt, ingeſta rejiciuntur;

qui

qui a viſceribus laeſis corruptisve, nec non qui in gravidis fit, ibi enim optima antemetica venae ſectio in brachio, laxans rhabarbarinum cum laudano prudenter adhibito. Cucurbitae ventri ſine ſcarificatione applicatae olim in foemina toto graviditatis tempore fere vomitionibus vexata, ad varias parvasque venae ſectiones inſtitutas rebellibus quam maxime juvere, uti jam innui altero faſciculo capite de Cardialgia. Reſpuit etiam uſum emetici vomitus ab hernia, quae repoſitionem poſcit, quamvis in initio, ubi nulla adhuc inflammatio, utilis fit vomitus & ad felicem juvat aliquando repoſitionem. Vomitus, qui a mero oritur ſpasmo, ab imaginatione & nervorum conſenſu, mobilitate nimia absque ulla materia, optime compeſcitur laudano liquido, antemetico Riverii vel ſale plantarum cum ſucco citri in actu effervescentiae exhibito, externe ſtomachi regioni applicare licet fruſtulum panis toſti in vino generoſo madefacti & cum aromatibus conſperſi. Symptomaticus non curatur vomitus, niſi labe primaria ſubacta, habitualis a ſumma corporis debilitate aliquando obſervatus, optime ſanatus roborantibus habetur.

§. 102. Reſtat, ut de cura vomitus in infantibus agatur, & in primis notandum, quod vomitiones, quae fiunt ante variolarum eruptionem & in morbillis, ſumma fiunt cum euphoria & rariſſime medicina egent. Multum quoque boni afferunt in tuſſi convulſiva, vel ubi caeteroquin abundat pituita & ſaburra in ventriculo, & oxymelle

melle ſcillitico optime coadjuvatur. Caeterum ſi a nimio corporis motu & cunarum agitatione, bene ſe habent ex uſu animae rhei cum octava parte liquoris anodini mineralis Hoffmanni addito parum eleoſſachari ſoeniculi. Si vero lac caſeoſum nimis in cauſa, optimum remedium eſt ſolamen infantum noſtrum jam alibi deſcriptum. In dentitione difficili, qui fit per conſenſum grano uno vel altero moſchi cum ſaccharo compeſcendus.

Cap. XVI.

DE ALVI CONSTIPATIONE.

§. 103.

Homini datum eſt ſemel vel bis de die alvum exonerare ab excrementis ſolidioribus durioribusve, quodſi haec ſolito diutius retinetur cum incommodo, moleſtia functionumve laeſione alvi obſtipatio, inſurgit morbus, diverſa quidem ab illa, quae cum vomitu omnium ingeſtorum ſummisque ventris cruciatibus fit ileus, volvulusve dictus, de quo actum capite de Enteritide.

§. 104. Non omnis alvi ſegnities morbus dicendus. Sunt enim, quibus ad plures dies alvi dejectio retardatur & quidem recte valentibus. Senes quoque alvus ſtricta juvat; inculpata diu clau-

clauditur alvus iis, qui ſolis liquidis nutriuntur, uti qui lecto affixi. Sunt poſt operationem chirurgicam, membrive fracti repoſitionem. Poſt finitam purgantis operationem, alvus obſerata ſaepe manet per aliquot ſine damno. Verum enim vero alvus pertinaciter obſtructa mater eſt plurimorum morborum; producit enim abdominis dolores, nauſeas, vomitus, flatus capitisque affectus. In acutis ex alvi obſtipatione fiunt purpurae, aphthae, inflammationes variae, haemorrhoides.

§. 105. Macilentis, exercitatis alvus adſtricta, dura, ſic & nephriticis, hyſtericis, haemorrhoidariis, gravidis, litteratis, melancholicis ſedentariisque. Cauſae quaerendae in bilis defectu, uti in ictericis ſaepiſsime, potus defectu, diaeta craſſa, auſtera, acida. In muco copioſo inteſtina obducente, quae inde foecum ſtimulum non ſentiunt. In excrementis nimis duris, ſcybalis, nucleis duris deglutitis: in lacte nimis caſeoſo apud infantes, in conſtrictione meatuum vel inteſtinorum coalitione poſt dyſenteriam adſtringentibus male tractatam, eorundem ſpasmodica conſtrictione, a venenis, ab acribus, in inteſtinorum inflammatione, ſcirrho, membranarum incraſſatione, inteſtinorum introſusceptione, compreſſione a tumore partium vicinarum, uti in gravidis, hydropicis, hernioſis, in fibrarum atonia paralytica, in ani condylomatibus, in canalis inteſtinalis ſiccitate nimia ob evacuationes ſeroſas, urinae ſudorisve auctas.

§. 106.

§. 106. Alvus ſegnis alimentis potius quam medicamentis, diaeta potius quam medicina, mollior reddenda; medicamenta enim frequenter aſſumpta malum inducunt habitum & ventrem in dies adſtrictiorem reddunt: idem de clyſterum emollientium uſu dictum volo; horum enim repetita applicatione fibrae inteſtinorum laxantur, inertioresque fiunt. Qui ergo alvo conſtipata laborant, diluculo & hora ſolita citius e lecto aſſurgant, hauſtumque frigidae bibant. A frigore pedum alvum obſtinatiorem ſolutam novi. A coitu abſtineant, ab hoc enim ſemper ſupprimitur vel difficilior ſaltem redditur alvina excretio. In hyſtericis lenit ventris dolores in alvi obſtructione, aqua frigida abdomini applicata. In victu proſunt pruna, poma cocta, paſſulae minores, oleoſa & butyrum, non aſſuetis potus caffée, fumusque tabaci per fiſtulam hauſtus. Ex animi pathematibus nullum plus praeſtat in alvo ſolvenda quam terror.

§. 107. Medicamenta quod attinet, praeſtantiſſima ſunt caſſia, manna, oleum amygdalarum dulcium, olivarum, ſeminis lini praecipue in infantibus, quibus etiam ſuppetias fert abdominis inunctio cum oleo, aut butyro ante focum. In adultioribus, ut fibrarum atoniae medeamur, valent ſalia amara, Sedlicenſe, catharticum anglicum, mirabile Glauberii, aquae minerales purgantes. Suppoſitoria aluminoſa oleo ſeminis lini madida. Clysmata ex ſale gemmae & oleo ſeminis lini parata. In bilis inertia laudantur quoque

pilulae ex ſapone cum felle taurino. In caſu magis praecipite laudantur globuli metallici ſeu antimoniati. Balnea vero & ſemicupia in alvi obſtructione pertinaciori non negligenda. Caeterum nuclei duri ſi qui adſunt in inteſtino recto, ſi poſſibile, inſtrumento mechanico ſeu chirurgico extrahendi. Alvi autem obſtructio, quae ex aliis morbis operoſiore indiget cura.

§. 108. Memorabilis rariſſimaque & forſan nunquam alibi ſimilis notata, alvi obſtructio & a me ante 30 annos viſa, haud indigna mihi videtur, ut publici fiat juris. Originem vero habuit in errore diaetetico, ſeu potius in mutato pravo longeque conſueto cum meliori regimine. A longa conſuetudine enim corpus ita diſponi, ut non niſi magno cum damno, a conſueto vivendi modo depelli poſſit, Medicorum parens, quem vivum Graecia, mortuum totus orbis ſummo proſequitur honore, jam agnoverat, dicens: „a multo tempore conſueta etiam ſi fuerint deteriora inſuetis minus turbare ſolent.“ Caſus autem ſic ſe habet:

§. 109. Habitabat Amſtelodami vir, qui tres habebat filios, puellas nempe duas unumque puerum. E filiabus altera autem epilepſia a nimia ciborum ingurgitatione correpta tertio aetatis anno moritur, indeque pater admodum moeſtus in propoſitum incidit, ut victum quotidianum filiis ſuperſtitibus ad certam appenderet menſuram, deque uxore jusjurandum exigeret, ne ultra hanc

cibi

cibi aliquid liberis illo abſente daret. Hisce legibus adſtricti vixere ad adoleſcentiam, quando pater diem obiit ſupremum, vidua tunc filiis id enixe flagitantibus, varias, leviusculas tamen in regimine inſtituebat mutationes, e quibus filius ob robuſtiorem forſan naturam, vel quia non aeque ſemper ac ſoror domi manens, jam a diaeta patria ſe aliquandiu ſubtraxerat, pleniusque cibum coeperat, vix afficiebatur, puella vero brevi admodum alvo conſtipatur ad aliquot dies, quae aliquando ſponte, aliquando leni ſolvebatur cathartico. Ad octodecim autem dies alvus obſtructa fortiori indigebat ſtimulo, quo periodice ad quartam vicem circa idem tempus utebatur. Tandem vel negligentia vel medicamentorum taedio, vel eorundem jam ſaepius aſſumptorum inefficacia, ad quadrageſimum diem, excretionem non curabat alvinam, tum clysmatum ope, oleoſis & laxantibus paulatim exhibitis alvo ſoluta, debilis ac languens manet, appetitus in dies minuitur, Medicus humidum & eupeptum cibum commendat tantum. Alvo autem denuo conſtipata ad decimum diem datur purgans ſine fructu quidem, neque hoc Medico indicans diem expectat vigeſimum, quo iterum cathartico incaſſum quamvis aſſumpto, ad triceſimum denuo aſſumitur purgans eodem tamen, h. e. ſine ullo ſucceſſu, ita ut ad quadrageſimum tandem ob magnos ventris cruciatus, medicas quaereret manus; itaque enemathibus repetitis lenioribusque catharticis ſenſim propinatis, nec non laudano li-

quido interpoſito, quo dolores lenirentur, inteſtinorumque ſpaſmi ſolverentur, alvus recludebatur hac vice ſaltem: dein vero, ut tot in poſterum praevenirentur incommoda, pilulas polycreſtas Hallenſes omni quatriduo ſumendas commendat Medicus, praeter inunctiones oleoſas quotidianas abdominis fruſtra vero. Nam & iisdem regulariter factis, obſerata manebat alvus ad quadrageſimum diem, neque tunc temporis niſi magno molimine, methodo paulo ante dicta, reſerebatur, quod aliquoties contigiſſe reperio in pugillaribus meis, ſemper laudani doſi aucta ad drachmas duas duodecim horarum ſpatio; neque inde ſomnus ſequebatur multus. Tandem Medico videbatur clysmatum ope bis de die injectorum alvum ſollicitandam eſſe, ſed & hac methodo immorigera manet ad conſtitutum tempus, niſi quod octoginta clysmatibus applicatis facilius minorique conamine ſolvebatur alvus.

§. 110. Praeter alvi obſtructionem pertinaciſſimam mira in hac virgine comparebant ſymptomata minime reticenda. Toto enim ſpatio temporis, quo haec alvi conſtipatio perſiſtebat, urina magna in quantitate ad octo ſcilicet menſuras quotidie fluebat, modo limpida, modo craſſa, omninoque alba, nec lacti ſapore dulci diſſimilis: potus vero quantitas vix ultra duas aſcendebat menſuras. A lumbis & infra indies emaciabatur aegra, enervabaturque ſic, ut tandem corporis integumenta complicari poſſent, nec pedibus ſtare valeret ob muſculorum gracilitatem.

Ab umbilico & ſupra ſana euſarca videbatur, duobus annis autem hoc in ſtatu elapſis, urinarum fluxus diabeticus videbatur indies minui, ſed ejus loco brevi ſequebatur ſalivatio, qua excernebatur materia viſcida & conſiſtentia & colore non multum ab albumine ovorum abludens, ad duas menſuras quotidie & ita inde debilitabatur aegra, ut lecto teneretur affixa, jamque malorum finem inſtare videretur. Etenim ſelectiora ex omni genere medicamenta a doctiſſimo adaptata Medico & variis artis profeſſoribus comprobata, nihil efficiebant. Circa hoc tempus Hamburgium profectus, poſt aliquot menſes, litteras accipio, quae nuntiabant aegrotam noſtram malo ſemper ingravescente, novisque ſymptomatibus & affectibus nervoſis obortis, ex communi Medicorum conſilio, rebus ſoli naturae commiſſis, medicamenta prorſus dimiſiſſe. Jamque eam rectiſſime valere & prope diem optimo juveni nupturam; vivitque adhuc, ut haud ita diu ab amico accepi viduo in ſtatu ſana atque vegeta ſatis.

CAP. XVII.

DE DIARRHOEA ET ALVI FLUXU.

§. 111.

Alvus ſolito fluidior liquidiorve plerumque ſine dolore diarrhoea dicitur; excretio au-

 tem

tem alvina ſolidior compactiorve quamvis ad tres quatuorve vices de die, uti praecipue ſit in infantibus, Diarrhoea haud dicenda. In hac enim ſeroſa, mucoſa, pituitoſa, bilioſa, ſanguinolenta purulentave excernuntur. Cibi crudi indigeſtique, qui aliquando per anum ejiciuntur, lienteriam ſeu levitatem inteſtinorum conſtituunt, quodſi chylus ipſe evacuatur, coeliaca paſſio adeſt; in hac ſpecie non ſemper verus chylus ejicitur, ſed materia griſea albicans chylo haud diſſimilis & Vogel a materia pituitoſa e ſanguine ſecreta deducit.

§. 112. Cauſae, materia acris abundans in inteſtinis, eorundem laxitas, motus periſtalticus auctus, glandulae meſeraicae, vaſa lymphatica reſorbentia, lactea obſtructa. Remotiores alimenta & potulenta facile fermentantia, ranceſcentia, mellita & dulcia, pinguia aquoſorum potuum abuſus, impedita perſpiratio, catarrhus, calor cum aeris humiditate conjunctus. In aeſtate frequens occurrit Diarrhoea, praeſertim ſub finem, quando noctes frigeſcere ſolent: inde non raro epidemicae valde. Fiunt quoque Diarrhoeae ſeroſae hyberno tempore in aere frigido & humido ab impedita ſeu retrogreſſa materia perſpirabili. Purgans draſticum non raro excitat alvi profluvium, quod hypercatharſis audit, mercurialia uſurpata, metaſtaſis varia a corporis peripheria ad canalem inteſtinalem vermes in inteſtinis nidulantes, ira & moeror, ſaepe Diarrhoeae extitere cauſae.

§. 113.

§. 113. Diarrhoea autem eſt idiopathica, ſymptomatica, critica, colliquativa & habitualis. Symptomatica praecipue eſt in febribus, variolis, morbillis, initio febrium putridarum, ſcorbuto & ubicunque adeſt humorum nimia diſſolutio, tenuis nigraque eſt excretio cum ventris meteorismo. In febri lactea puerperarum a lacte repulſo, a lochiis ſuppreſſis retentisve. Critica quae die critico fit in morbis acutis cum ſymptomatum & morbi levamine viriumque erectione. Critica quoque cenſenda, quae in capitis & colli morbis, ophthalmia oritur bono cum effectu. In critica non prorſus liquida excernitur materia. Colliquativa in fine quorundam morborum, phthiſeos, ſc. & hydropis ut plurimum incurabilis. Habitualis vitium arguit inteſtinorum viſcerumque aliorum, quodſi purulenta excernuntur, horum denotat exulcerationes.

§. 114. Pertinet huc alvi incontinentia ſive invita alvi excretio, quae fit in paralyſi, ſphincteris ani, haemorrhoidibus, ani prolapſu, ulceribus & fiſtulis ejusdem, vertebrarum luxatione & medullae ſpinalis laeſione, in affectibus apoplecticis, delirio & aliis.

§. 115. Diarrhoea, quamdiu vires non proſternit, ſibi relinquenda, utpote hac via liberatur natura a pravis corruptisve humoribus, morbisque inde oriundis. Diutius vero durans, vires debilitat, inteſtina excoriantur, tenesmi fiunt, pallor exſurgit faciei, febris naſcitur hectica, cum extremorum intumeſcentia, leucophlegmatia.

 Gravi-

Gravidae in alvi fluxum incidentes in abortus periculo verſantur.

§. 116. Cura ergo pro varietate cauſae admodum variat & praeprimis diarrhoea ſtercoroſa vulgaris a copia ciborum indigeſtorum vel corruptorum magno fit beneficio naturae & hic ſi quae valent, emeticum erit lene ex radice ipecacuanhae vel potius quaedam praebia ex rhabarbaro cum cremore tartari & infuſum theae. In coeliaca paſſione rheum cum ſalibus mediis optimum remedium, dein roborantia, uti extractum corticis, eſſentia aurantiorum in aqua cinamomi ſoluta. Diarrhoea infantum abſorbentibus rhabarbaro additis curanda. Diarrhoea verminoſa mercurio & rhabarbaro oppugnanda. Ex metaſtaſi a capitis tinea in infante habitualis, curata fertur fonticuli ope in brachium inciſi. Caeterum habitualis curatur decocto ligni campechenſis, aqua calcis cum lacte, infuſo millefolii, planta Lyſymachi pulveris forma ſecundum de Haen, decocto corticis ſymarrubae, tum & pulvere No. 9. a Lind laudato. Frictiones abdominis oleo menthae, uti & epithemata ex pane toſto cum vino rubro, aut ſpiritu vini abdomini impoſita., hic maximi uſus. Sudoriferis lenioribus interdum, quo humores ad corporis peripheriam deriventur, ſua non deneganda laus, inde Punch tenue in diarrhoea annoſa & refractaria cubitum eunti multum profuiſſe compertum eſt. In hypercatharſi opium optime conducit, ſed nullo modo citius quam hauſtu vini rubri vel aceti compeſcitur. Ex acidis enim

enim fere omnium purgantium vis caſtratur. Colliquativa opio & acido vitrioli prudenter exhibitis pallianda, nec non clysmate ex amylo, gummi arabico, theriaca Andromachi & lacte parato.

§. 117. Diaetam quod ſpectat, diarrhoea affecti ab acre frigido arcendi. Pedes ocreis & tibialibus craſſioribus calidi ſerventur, induſium laneum geſtent ſupra corpus nudum, ut perſpiratio augeatur, cuique ſcopo etiam valet exercitium modicum in rheda, equitatio. In victu conducunt decocta avenacea, pultes ex ſagu, oryza, aliaque mucilaginoſa, juscula, gelatina, vinique rubri hauſtus.

CAP. XVIII.

DE EPIPHORA.

§. 118.

Humor naturaliter ex glandula lacrymali, aliisque forſan oculorum glandulis pro humectanda cornea ſecretus & per puncta lacrymalia ad carunculam & ſaccum lacrymalem, indeque ad ductum naſalem delatus, ibidemque muco mixtus, demum per nares expulſus, ſi majori copia excernitur ita, ut per genas involuntarie continueque fluat, Epiphora audit.

§. 119. Cauſae proximiores in ſeri abundantia ejusve acrimonia partium, praecipueque tunicae corneae relaxatione, humorisque aquei effluxione, ductus naſalis obſtructione, oſſium unguium carie, carunculis laeſis, marginum palpebrarum exulceratione, aliarumque partium deſtructione quaerendae. Remotiores, in diaetae errore, vitio humorum, miasmate arthritico exiſtunt ut plurimum. Infantes ſaepius laborant a lactis vitio & nutricis cacochymia. Studia immodica & continua ad lucernam lectio, venti, fumus, ceparum aliorumve acrium ſtimulus epiphoram cauſant tranſitoriam.

§. 120. Oculi ſponte lacrymantes in acutis cum caeteris ſignis malis mortem, cum bonis haemorrhagiam protendunt criticam. Ante morbillorum eruptionem per triduum adeſſe ſolet lacrymatio calida aeris. Caeterum humor acris oculorum ardorem, ruborem, partium excoriationem inducit. Si a fiſtula lacrymali male curata, incurabilis prorſus exiſtit epiphora, uti & quae ſenibus accidit.

§. 121. Cura epiphorae, quae ab acrimonia humorum generali oritur, alio loco forſan tradetur. Quae a vitio mechanico pendet, dextram poſcit chirurgi. Artis medicae vero eſt curare epiphoram ex metaptoſi arthritidis, pediluviis, veſicatoriis ad ſuras vel ad alias partes olim arthritide affectas, oculi ipſi muniendi mucilagine radicis Altheae aqua calida, vel ſeminis pſyllii aqua roſarum parata. Abundantia ſeri per cathartica, hydra-

hydragoga, ſudorifera, diaphoretica, diuretica, veſicatoria, cauſtica, fonticulos, ſetacea, errhina, ſialagoga, ſternutatoria. Senſim minuenda partium laxitas, manibus fricatis ſpiritu Lavandulae compoſito & ante oculos poſitis tum & vapore ſpiritus vini accenſi oculis applicato vel collyrio No. 10. roboranda. Eidem ſcopo etiam valet unguentum ophthalmicum rubrum canthis oculorum ad piſi magnitudinem admotum bis vel ter de die. Frigida oculorum ablutio quam maxime prodeſt.

Cap. XIX.

DE CORYZA SEU GRAVEDINE.

§. 122.

Materia acris tenuis, ſeroſa per nares atque oculos copioſe effluens Coryza dicitur: Pituita vero magis tenax gravedinem conſtituit nec legere nec ſcribere, immo lucem vel lumen vix adſpicere poſſunt aegri. Stipatur hemicrania, ſternutatione repetita, olfactus depravatione vel & perfecta anosmia. Per tres quatuorve dies ut plurimum ſponte terminatur, materia craſſeſcente & viſcidiore facta dolor gravativus oculorum per biduum ſaltem praecedere ſolet acrimonia humoris defluentis labia & nares ſaepe erodit. Saepius recurrens in aetate juvenili, phthiſi viam ſternit.

§. 123. Cauſae occaſionales, aer nimis ſiccus & fervidus, abuſus pulveris herbae nicotianae, perſpiratio impedita, nudatio partis inconſueta, praeſertim in aere humido frigidove, inde adeo frequens vere atque autumno. Debilis tenerisque corporis ſtructura, mollisque educatio diſpoſitionem parit. In juventute ſaepiſſime ex minima aeris mutatione coryzae obnoxius eram, ſaepe tres priores dies unum oculum afficiebat, dum per tot iterum dies ad alterum tranſibat, in majore aetate pro coryza ſaepiſſime moleſtiſſima afficiebar odontalgia, aetate vero increſcente roboratoque corpore, ablutione quotidiana capitis frigida, nulla habita ratione ad anni tempora & expoſitione perpetua aeris injuriis nihil ſimile patior.

§. 124. Coryza modica naturae prorſus relinquenda, diaeta tenui inſtituta, excretio enim ſalutaris eſt, quae nimis cito ſuppreſſa tuſſim aliaque mala producit. Ideo aer frigidus vitandus, ne repellatur humor vel ad pectus vel ad caput. Raro enim fit, uti habet Celsus, ut ſi biduo vel certe triduo nobis temperavimus, id vitium non levetur. Coryza immodica acrisve nimis, purgantibus, ſudoriferisve minuenda. Temperantia & infuſum florum Sambuci conducunt. In nares admittatur vapor ex floribus Sambuci, aqua tepida infuſis, ſternutatoria mitiora, errhina, in fine optime valent. Si cum tuſſi aut febricula concomitatur tanquam catarrhus aut febris catarrhalis benigna tractetur, de quibus jam in prioribus faſciculis actum.

Cap.

Cap. XX.

DE OTORRHOEA SEU AURIUM PROFLUVIO.

§. 125.

Fluxus ſeroſus, purulentus, ichoroſusve foetidus ex aurium cavo, meatuve auditorio, vel ex cryptis ſebaceis in ambitu & auris circumferentia externae, Otorrhoea dicitur.

§. 126. Otorrhoea purulenta otitidem ſeu auris inflammationem excipit, ſi male tractetur ulcera cancroſa putrida cum plenaria ſequitur ſurditate. Critica eſt ſaepius in morbis capitis, ejusdem contuſionibus, ſuppuratione, parotidibus, affectibus ſoporoſis catarrhoſisque, brevisque haec eſt, cum levamine fit, ſponteque fere ceſſat, neque raro metaſtatica eſt, uti quibusdam obſervatum in menſium emanſione.

§. 127. Humiditas ex glandulis pone auriculam fluere ſolet in pueris cacochymicis, quod eſt valde ſalutare, neque temere exſiccanda, male enim habentur ex ſuppreſſione, diarrhoeaque ſeroſa non ſine aliquo incommodo inde vel & convulſionibus afficiuntur, vix niſi priori fluxu reſtituto compeſcendis. In adultioribus cum pruritu moleſtiſſimo fluxus tenuis acris pone aures aliquando fit.

§. 128. Ulcera aurium curatu ſunt difficilia, inprimis inveterata, uti omnes fere aurium affectus. Veſicantia ad nucham laudantur, ad humores derivandos & quidem in ſuppreſſione aut exſiccatione intempeſtiva ad metaſtaſim praecavendam. Cuique ſcopo & fonticuli valent uti & purgantia. Fiant denique injectiones ex vino calido addito melle. In vetuſtiori adhibeatur potius aqua calcis cum oxymelle ſimplice. Demum auribus immittatur goſſypium eſſentia myrrhae imbutum. Urina propria cum melle roſarum hic quoque optimum eſt detergens. In profluvio auriculari infantum optimum remedium eſt quotidie aures frigida lavare, dein loco affecto pulverem lycopodii inſpergere. In adultis bene audiunt mercurialia, ſolutio ſublimati aquoſa, decocta lignorum, quamvis luis ſuſpicio nulla adſit.

Cap. XXI.

DE PTYALISMO SEU SALIVATIONE MORBOSA.

§. 129.

Ptyalismus dicitur ſalivae aut muci ſine anacatharſi aut vomitione ex ore effluxus continuus. Pertinet & hic crebra expuitio, quae vomitum ordinarie praecedit, uti quae gravidis, phthiſeosque candidatis matutino tempore per quam fami-

familiaris, eſtque ſymptomaticus, criticus atque accidentalis, rariſſime idiopathicus.

§. 130. Symptomatica ſalivatio adeſt in quibusdam febribus cum & ſine aphthis, affert tamen ſummum levamen interdum in febribus lentis & nervoſis. Familiaris eſt ſcorbuticis, in quibus ſi vel minus caute aliquot grana mercurii dulcis exhibentur purgantibus miſcendo, moleſta inſurgit ſalivatio diu durans vixque iterum compeſcenda. Dentientibus quoque proprium eſt ſalivare non ſine lenimine malorum. Hypochondriacis & melancholicis ſputatores inquit Hippocrates. Critica fit ſalivatio in variolis confluentibus, neque temere ſupprimenda, ſed potius prudenter promovenda. Praematura & profuſa ſimul hic mala.

§. 131. Accidentalis excitata ſalivatio fertur in Ludwigii adverſariis ex uſu Belladonnae, ex fumo tabaci, ex uſu mercurii interno & externo, uti in cura luis venereae patet. In hydrope aliisque morbis, amauroſi, ſcabie, rebelli glandularum tumore magna cum utilitate tentata eſt methodus medendi per hydrargiroſim. Idiopathica fit ſalivatio a ductibus ſalivalibus laeſis aliquando, a motu convulſivo mandibulae inferioris obſervata, in odontalgia frequens periodicam ſalivationem per ſex annos recurrentem vidit Bloch veſicantis ope ad nucham applicati & oris collutione adſtringente feliciter ſanatam.

§. 132. In ſalivatione a mercurio anima fœtet, glandulae ſalivales & lingua tument, gingivae dolent, den-

dentesque vacillant, ſputumque eſt olidiſſimum in non venereis quidem. Caveat aeger, ne ſalivam deglutiat; ideo ſedeat in lecto, erecto corporis trunco & capite antrorſum inclinato, in utrumque latus alternatim. Jaceat, & ſi vires valent, e lecto ſubinde ſurgat.

§. 133. Copioſa ſalivatio corpus reddit exſuccum; inde mos tabaci fumum per fiſtulam attrahendi, damnandus melancholicis, macilentisque. Neque magis laudanda prava conſuetudo talis tabaci ſuctionis ſtatim a prandio vel coena, quo ſtomachus ſuo latice privatur, quo eget ad perfectiorem ciborum concoctionem. In hydrargyroſi pleniori quatuor quinqueve librae nycthemeri ſpatio lente jugiterque ex ore manat ſaliva.

§. 134. Ptyaliſmus a mercurio aliave de cauſa, exceſſu peccans ita ut metus ſit, ne aeger maneat impar ad tolerandam hanc evacuationem per ſufficiens dierum ſpatium, ut morbus venereus praeſertim exſtirpetur, compeſcendus detractis induſiis, linteis aliisque, quae ab illito mercurio (ſcilicet ubi inunctiones mercuriales inſtitutae) ſordent, catharticis prudenter atque ſine addito mercurio adhibitis in ſuffocationis periculo a tumore faucium, clysma ſtimulans injiciendum, os ſaepius tepida eluendum, affatim bibendum decocta hordeacea, avenacea, jura tenuia, emulſiones, hydrogalam & zythogalam. Diaeta ſit tenuis & demulcens; ſalivatio a ductu ſtenoniano laeſo, optime compreſſione peritia chirurgica facta ſiſtitur.

Cap.

Cap. XXII.

DE DIABETE.

§. 135.

Nimium urinarum profluvium cum corporis conſumptione, utpote potus quantitatem multo excedens Diabetes dicitur a Medicis; eſtque vera vel ſpuria; in hac urina clara, limpida, aquoſa emittitur, in illa, craſſa, alba, chyloſa, lymphatica ſub dulcis ſapore.

§. 136. Cauſas agnoſcit proximas, viarum urinariarum laxitatem, humorumque omnimodam diſſolutionem, ſaepiusque ſanguinis ſpiſſitudinem inflammatoriam, aquae vix miſcibilis, oeconomiam animalem prorſus depravatam per viſcerum omnium obſtructionem. Remotiores vero cauſae ſunt potus aquoſus nimis copioſus, acidularum uſus nimis longus, vini rhenani continuus potus, diureticorum abuſus, aſparagorum eſus immoderatus; reſorptio aeris humidi per bibula nimis patula, tranſpiratio impedita, aliarumve evacuationum conſuetarum ſuppreſſio: renum nimia, coitu vel equitatione frequentiori agitatio; ſpasmodica viarum urinariarum conſtrictio in affectibus ſpasmodicis, morſus ſerpentis dypſadis, demum & febris intermittens nimis cito ſuppreſſa.

§. 137. Praeter ſymptomata in definitione memorata adſunt in hoc affectu, ſitis inexplebilis, calor moleſtus in vola manuum, qualem & febri hectica laborantes percipere ſolent poſt paſtum, aeſtus corporis ingens, febricula nulla primum, dein lenta, cutis arida, ſqualida, pedum oedema, lumborum intumeſcentia, a minima vel urinae retentione: quaeque excipit mors, uti ſemel vidi in viro Diabete ſpuria ſex ſeptimanarum ſpatio confecto. Diabetem veram vidi quoque in virgine alvi obſtructione pertinaciſſima laborante, cujus hiſtoria Cap. XVI. traditur, non funeſtam quidem.

§. 138. Diabetes curatur diaeta ſicca ex oryza, ſagu, ſaleb, pane biſcocto, carne aſſa, modicoque corporis exercitio in aere ſicco, decubitu in lecto duriori, lumbis & abdomini cingulum latum circumducendo, pro potu valet vinum rubrum. Medicamenta probatiora ſunt tinctura catechu, elixir vitrioli, aqua calcis, cortex peruvianus, ſolutio aquoſa gummi arabici, ſerum lactis aluminoſum ex Meadii ſententia ad uncias tres bis vel ter de die. Demum tinctura cantharidum a decem, viginti immo & triginta guttas ſenſim aſcendendo, ſi pathematis paralytici indicia. Sunt, qui commendant balneum tepidum ſubinde ad cutem laxandam.

Cap. XXIII.

DE ENURESI SEU URINAE INCONTINENTIA.

§. 139.

Homini inſcio vel invito lotium effluens ſine dolore, urinae ſiſtit incontinentiam, pueris, foeminis gravidis, menſtruisve inſtantibus, ſenibus affectus eſt perquam familiaris, nec non delirantibus in febribus acutis, uti & morbo ſoporoſo detentis.

§. 140. Cauſa proxima eſt ſphincteris relaxatio & atonia; remotiores vero variae ſunt, uti vitia ulcera ſphincteris veſicae poſt partum, lythotimiam, lithiaſis moleſta, laeſio ſpinae dorſi, veſicae inflammatio, paralyſis, ejusdemque pituitae abraſio, ſtricturie ſpasmodica muſculorum abdominalium, inde in tuſſi violenta, vomitu, riſu, teneſmo; alvi egeſtione, paralyſi muſculorum acceleratorum: occaſionem praebere poteſt mora diuturna in aqua frigida.

§. 141. Morbus in vigilantibus immedicabilis fere, in infantibus aetatis progreſſu fibris roboratis ſponte ceſſat; caſtigationes reales nihil proſunt, nocent potius, uti experientia me docuit ſaepius. Verbales valent interdum; bibant vero parum, antequam lectum petunt, veſicam urina evacuent. E ſomno ſubinde noctu exci-

tentur, ut urinas mittant. Senibus thermae interdum ſuccurrunt.

§. 142. Curam quod attinet caeteroquin, veſicans oſſi ſacro applicitum commendatur a quibusdam. Monro inutile invenit. Balneum frigidum roborando valet in junioribus, caeterum & nervina adſtringentia interne ac externe tentari poſſunt. Palliative lagenulam aut veſicam ſuillam ad corpus alligare, quae penem excipiat, optimum; in ſequiori ſexu annulum vel pilam in uteri vaginam prudenter intrudere.

Cap. XXIV.

DE ISCHURIA SEU ANURIA.

§. 143.

Totalis urinae ſuppreſſio Iſchuria audit. Duplex datur ſpecies; renalis ſcilicet & veſicalis, in hac, urina quidem adeſt in veſica, excerni vero non poteſt. In illa vero veſica eſt vacua, quia nulla ſecernitur urina in renibus, vel ſaltem ejusdem deſcenſus per ureteres ad veſicam impeditus eſt. Prior ſpuria, altera autem vera dicitur Iſchuria.

§. 144. Urina non ſecernitur vel ſanguinis vitio nimis ſpiſſi, phlogiſticive, vel vitio renum & vaſorum emulgentium, vitioque ureterum vario non deſcendit in veſicam. In ſuppreſſione rena-

renali nullum pondus, nulla intumeſcentia, nullus dolor, nullus ſtimulus percipitur circa regionem hypogaſtricam & perinaeum. In ſuppreſſione veſicali adſunt intumeſcentia, tenſionis dolorisque ſenſus in hypogaſtrio. Doloris abſentia paralyſin & atoniam arguit veſicae.

§. 145. Secretio & excretio urinae impedita ſummum periculum ſecum ducit, ſymptomata varia affert, ſebriculam nempe, ſitim, ſomnum turbatum, vomituritionem, cephalalgiam, ſingultum, foetorem urinoſum, convulſionem, ſoporem, ſudorem frigidum, aliosque affectus haud diſſimiles illorum, qui a ſphacelo oriuntur, mortemque demum intra paucos dies, uti vidi in juvene, qui ischuria laboraverat renali, uti ex catheterismo urinam non alliciente patuit, quique die ſeptimo diem obiit ſupremum. Cyſtocelen veſicaeve herniam producit aliquando ischuria veſicalis in gravidis praeſertim.

§. 146. Ischuria veſicalis autem varias agnoſcit cauſas, nempe affectus calculoſos, ſanguinis grummorum aggregationem poſt mictum cruentum, colli veſicae calloſitatem, ejusdem inflammationes, tumores prementes vel in ipſa veſica, vel in partibus vicinis, unde gravidis affectus familiaris, uti & hisce, qui haemorrhoidibus caecis, condylomatibus circa anum laborant, qui ſcybalis durioribus rectum infarctum habent. Addenda hic ſpinae, vertebrarum foemorisque luxatio.

§. 147. Occaſionem praebent omnis urinarum retentio, uti mos peſſimus obtinuit in circulis falſi pudoris cauſa. Inde enim diſtenditur veſica nimis repleta, inducitur que ejus atonia, paralyſisve. Sic vidi in puero, cui erat mori familiari retinendae urinae, accedenteque inſuper aëris refrigerio, ſuppreſſione urinae corripitur triduana, quo audito, algali ſeu catheterismo veſicam evacuari curo, meque praeſente educitur menſura quaſi urinae foetentis quidem cum magno aegrotantis levamine, abdomen enim ex tenſo, non dolenti fit molle, commodiusque ſeſe habet aeger. Veſpertinis horis iterum inſtrumento extrahitur magna urinae copia. Interne datur cortex peruvianus, regio hypogaſtrica inungitur tinctura cantharidum oleo volatili addito, absque ullo effectu. Oſſi ſacro imponitur veſicans; demum accedo ad uſum pulveris No. 11. atqui cum tertium aſſumpſiſſet praebium absque fructu, febrisque potius accenderetur cum delirio anxietatibusque, ab ejusdem uſu deſiſtendum putavi. Sicque inſequenti die omnibus ingraveſcentibus, urinaque ſponte emiſſa, quae per quatuor dies non niſi inſtrumenti ope bis de die fluxerat, vitam cum morte commutavit filius matri viduae charus. Ergo urina ſponte effluens poſt totalem ſuppreſſionem per dies aliquot, ſignum eſt fallax & mortem praeſagit. Metaſtatica fit aliquando iſchuria ex tinea ſcabieve repulſa.

§. 148. In Iſchuriae renalis curatione laudatur, balnea, ſemicupia tepida, emeticum, ſi non

adſunt

adſunt ſigna inflammationis, diuretica ex millepedibus, cantharidibus, interne quidem prudenter exhibitis. Veſicans ad renes applicatum, in veſicali potius ad os ſacrum apponitur. Catheter hic maximi uſus. Conferenda & hic ſunt, quae capitibus de Calculo, Dyſuria & Stranguria uti & de Gonorrhoea dicta: non raro enim Iſchuria oritur a vitio venereo in urethra, quae cereis & turundis mercurialibus curatur.

Cap. XXV.

DE UROSCOPIA SIVE DE URINIS UT SIGNO.

§. 149.

Urina eſt liquidum ſeroſum, particulis terreſtribus ſalinis oleoſis refertum, in renibus ſecretum, indeque per ureteres in veſicam delatum, demum vero per urethram e corpore miſſum.

§. 150. Mos obtinuit antiquis potius quam Neotericis, ut urinas inſpicerent ad praeſagiendam inde vitam, ſalutem & mortem aegrotantium. Inſpectionem vero ſolam urinarum nihil prodeſſe ad rem medicam, ſignumque fallax admodum eſſe ſive in morbis acutis ſive in chronicis, patebit facile conſideranti.

1mo. Urinam incredibiliter etiam in ſaniſſimis variare; aliam eſſe poſt paſtum, aliam poſt digeſtionem plenariam, aliam demum poſt potum.

2do. Ab aſſumptis a naturali alienam fieri; a caſſia enim nigra, a rhabarbaro intenſe flava redditur, a therebinthina violas redolet, ab aſparagorum eſu foetet, a cepis acrem capit odorem.

3tio. Urinas malas per ſe, ubi caetera adſunt bona ſigna, non ſufficere ad male ominandum, neque ſi adſunt alia ſigna prava, certam ſemper arguere perniciem. Demum cum urinis bonis ſaepius aegros perire, praeſertim ſi caetera prava.

4to. Variare ubique urinas ſaniſſimorum ratione temperamenti, in debilioribus enim redditur aquoſa, robuſtis atque exercitatis eſt parcior, coloreque intenſior. Aetatis, neonatis enim limpida inodora fere, adultis ſaturatior, ſenibus acris eſt. Anni temporis, in regionibus frigidis temporeque hyemali copioſior, dilutior emittitur, quam aeſtate; quod vel unusquisque in ſe ipſo expertus eſt. Statim a cibo vel potu urina mingitur clara, digeſtionis tempore ſaturatior. Poſt ſomnum ſolemne Medicis uromantibus urinam inſpicere. Quin & ab animi perturbationibus urinam miro modo alterari poſſe in ſaniſſimis, quamvis nedum in aegrotis certiſſimum eſt. Quis ergo uromantium divinare poterit aegro non praeſente, celatisque aliis circumſtantiis, num urina limpida v. c. a copia potulentorum. Numve a ſpasmo in affectibus ſpasmodicis & nervoſis?

Quo-

Quomodo augurabit urinam lateritiam inſpiciens, num febris intermittentis num ſcorbuti indicium. Quis demum ex urina purulenta inſpecta judicabit, num aeger ulcore veſicae, renum, num alio viſcere laeſo laborat, pure ſcilicet reſorpto atque per vias urinarias expulſo?

§. 151. Urinarum inſpectio quamvis per ſe adeo dubia, adeo incerta, adeo fallax; omnino tamen non negligenda ad rem medicam, quia cum aliis ſignis comparata multum habet utilitatis & ad morborum diagnoſin & ad prognoſim & curationem. Verſatur autem quam maxime circa ejus quantitatem & qualitatem. Quantitas enim vel aucta vel imminuta erit, qualitas contentorum ratione variat, indeque colorum inſurgit diverſitas.

§. 152. Quantitas in ſtatu naturali aut ſano paulo minor erit quam id, quod per potum aſſumitur. A copia vero potulentorum augetur, ab impedita tranſpiratione in aëre frigido. Imminuitur operariis exercitatis, ſudantibus, in aëre calido & potulentorum penuria. Qualitas praecipue ex contentis odore & colore deſumenda. Naturalia autem urinae contenta ſunt hypoſtaſes & ſedimentum, quae imum occupant ſeu fundum petunt matulae: eneoremata, quae medium, nubeculae, quae ſummum tenent.

§. 153. Conſpiciuntur ſaepiſſime urinae ſine contentis vel admodum rubrae, vel admodum pallidae; praeterea variis gaudent coloribus uri-

nae. In ſtatu naturali urina eſt flava, citrina, odorem nullum fere edens. Caeterum eſt aquea, alba, ſtraminea, flammea, crocea, viridis, nigra, purulenta; cruenta; ſedimentum arenoſum furfuraceum habens.

§. 154. Urinae nimis pallidae uti quae nimis rubrae ſine nubeculis aut contentis in morbis, ſemper malae; hae enim indicant contenta, adeo dura eſſe & tenacia, ut diſſolvi aut moveri non poſſint & ad ſua confluere loca. Illae craſſa in corpore retineri, vaſaque adeo ſpaſtice conſtricta, ut non niſi tenuiſsima transmittant; nigra niſi ab aſſumptis, vel in quibusdam atrabilariis, vel in affectibus nephriticis uti habet DE HAEN peſſima ſemper, utpote ſphaceli interni indicium. Neminem unquam ſervatum vidit GALENUS ex iis, qui morbo aucto decumbentes talem minxerant urinam. Ego nunquam vidi urinam nigram. Urina ſana in morbis malignis malum. Urina ſedimentoſa hypoſtatica tempore critico emiſſa cum caeteris bonis ſignis & cum ſenſibili ſymptomatum levamine boni eſt praeſagii. Sine hypoſtaſi in quibusdam morbis, licet aegrotantes pene reſtituti videantur, infida eſt & recidivam promptam minitatur. Urina cum nubecula in febribus acutis conſtanter ſic apparens, coctionis eſt ſignum. Metaſtaſin indicant urinae ex craſſioribus tenuiores ſubito factae & delirium prae caeteris protendunt.

§. 155. Pallidae, aquoſae, limpidae ſolito copioſiores emittuntur in abundantia potus aquoſi,

laxi-

laxitate nimia fiſtularium renalium, aliis evacuationibus ſeroſis praeſertim tranſpiratione imminutis; in iis, qui diureticis abutuntur, in pulmonum vitiis malo quidem omine. In phreniticis, hydropicis abundante humore ſeroſo; verum enim vero ubi nimia jam humoris depoſitio fit in cavo aliquo, urina rubicunda emittitur in hydropicis. In affectibus nervoſis, hyſtericis & hypochondriacis pallet ubique urina. In febribus lentis & nervoſis, ſic & in initio febrium malignarum limpida emittitur. Talis urina aliquando in dyſentericis viſa nec felici eventu. Demum urinas tenues mingunt ventriculo debiliori laborantes, cachectici, chloroſi affectae, diabetem paſſi, qui animi perturbationibus torquentur, quique aquas minerales bibunt. In nephriticis tandem ſaepius paroxyſmum praeſagiunt.

§. 156. Rubrae conſpiciuntur urinae in febribus ardentibus, inflammationibus internis; cruenta in variolis febribusque putridis a globulorum ſanguinis diſſolutione, quod peſſimum. Mitius vero judicandum de urinis rubris ſanguinolentis a cantharidum applicatione. In ſcorbuto quoque urina ſaturate rubicundo colore mingitur tincta. In arthritide rubedine ſaturatur intenſa. Rubrum & craſſum ſedimentum ad inſtar pulveris laterum in febribus intermittentibus ſub finem paroxyſmi, remittentibus larvatis, in ſcorbuto etiam & colica frequentius occurrit. Parcior emittitur urina ob potus defectum, ob vaſa obſtructa & ſpaſmo conſtricta, ob alias excretiones auctas.

§. 157.

§. 157. Urina turbida jumentoſa dicta uromantibus, non ſubſidens obſervatur in putridis, ſubalbicans craſſa autem juri carnium ſemicoctarum haud abſimilis in pueris febricitantibus familiaris valde vel & verminoſis. Item in adultis, qui Gonorrhoea & Leucorrhoea laborant. Lutulentae ſeu lactescentes ſunt urinae criticae in febri catarrhali benigna. In morbis articulorum ſæpius urina ſedimentum deponit album; in hecticis ſaturate rubicunda, exuenta in calculoſis, in haemorrhoidibus & menſtruis deviis & aberrantibus.

§. 158. Croceam mingunt urinam linteamina & chartam tingentem icterici, viridem febri bilioſa affecti; arenae, ſabulo in urinis, calculi nec non ſcorbuto indicium. Ergo non infallibile lithiaſis ſignum. Carunculae & ſedimentum furfuraceum apparet in calculo veſicaeque ulceribus; purulenta excernitur urina in vitiis viarum urinariarum nec non aliorum viſcerum ob puris reſorptionem in ſanguinem. Spumam diu retinens urina emittitur in maniacis, nephriticis, hecticis, & putrido chronico neque raro acuto affectis. Foetida eſt in calculoſis ſalſuginoſum quid ſpirans, ſic male olet lotium in Gonorrhoea, Leucorrhoea & ulceribus pudendorum; in febri petechiali, nigra & foetens valde obſervata refertur. Alcalina fit in hisce, qui multo ſapone utuntur. In hecticis ſub finem pinguis eſt & oleoaginoſa, nempe quod in ejus ſuperficie olei quaſi guttae innatant & aranearum telae, colliquationis ſummae indicium.

Cap. XXVI.

DE GONORRHOEA SEU PROFLUVIO GENITALI.

§. 159.

Si ex pene erecto, ut plurimum autem languido & pendulo ſive vigilanti ſive dormienti absque idea libidinoſa aut ullo voluptatis ſtimulo, atque ex mulierum vagina effluit materia ſeminalis vel & liquor ei ſimilis, aut ichor ſaniesve acris, corrodens ſanosque inficiens per mutuum contactum, Gonorrhoeam ſeu Profluvium vocant genitale. Haec vero maligna & virulenta, illa ſimplex & benigna dicitur, praeterea datur ſpuria & notha, quae aliquando manet poſt virulentam utcunque ſanatam, eſtque tantum ſtillicidium e balano. Non jugiter quidem ſed certis temporibus ſtillat paulum ſaniei tenuis, aquoſae, pellucidae, praecipue poſt paſtum vel e ſomno mane evigilantibus. Tum Gonorrhoea virulenta ſicca, in qua nullius materiei effluxus, ſed caetera ſymptomata §. 161. recenſenda rarior vero eſt morbus.

§. 160. Gonorrhoea benigna pro cauſa agnoſcit laſcivas membrorum genitalium irritationes, vividas venereas cogitationes, laxitatem glandularum proſtatarum, veſicularum ſeminalium, coitum nimium, manuſtuprationem repetitam. In hac

hac ſemen fluit aquoſum, vel liquor proſtatarum pene quidem flaccido ex urethra absque dolore aut inflammatione. Sterilitatem poſt ſe trahit diuturna vel habitualis, tum febrim hecticam, impotentiam, ſenſuum ſtuporem & hebetudinem, inflammationes, maciem, atrophiam, hydropem, tabem dorſalem, epilepſiam.

§. 161. Gonorrhoea virulenta luis venereae ſaepius prodromus, magnamque affinitatem cum lue habens, ratione ſymptomatum, quae ſecum fert, ſaepe non niſi mercurialibus domanda, rationeque effectuum, quos ſuppreſſa aut male curata producit, non niſi ab impuro naſcitur coitu, comitemque habet dolorem, inflammationem urethraeque exulcerationem cum urinae ardore ſummoque dolore praecipue poſt mictionem. Materia effluens eſt flava, viridis non ſine foetore ſtipata, ſaepiusque eſt ichor ſanguinolentus, quibus addenda non raro praeputii tumor & inflammatio, teſtium tumor dolorificus, bubones dolentes, praeputii & glandis exulcerationes, priapismus ſeu membri erectio cum dolore ſtricturaque, quin & penis deorſum flectitur atque incurvatur, quaſi chorda ſubtenſa, quodque Gonorrhoeam ſic dictam chordatam ſiſtit; phymoſis, paraphymoſis, quibus vero Apellae non afficiuntur. Ideo non inepta circumciſio Aegyptiis uſualis, dein Judaeis & Turcis praeſcripta munditiei ergo in regionibus fervidis. In foeminis vaginae & clitoridis adeſt Tentigo dolorifica, viri

calo-

calorem circa perinaeum, foeminae circa vulvam percipiunt: uterque ſexus veneri indulgere non poſſunt ſine dolore. Haec qui ad amuſſim tenet omnia, facile Gonorrhoeam a Leucorrhoea feminarum diſtinguet; praeſertim ſi attendat materiam in fluore albo e vagina effluentem non niſi tractu temporis & quidem in cachecticis & ſcorbuticis acrem aut viridem fieri, in gonorrhoea virulenta autem ſtatim, nempe poſt tertium aut quartum diem ab infectione vel ad ſummum poſt 15 dies talem eſſe. Ut obiter autem dicam, quo ſerius ab infectione erumpit, eo pejus. In principio materia viſcida eſt, dein tenuior prodit haud cum ingrata titillatione glandis, ſenſim vero ſub finem craceſcit uti fit in catarrho matureſcente.

§. 162. Gonorrhoea ſpuria aliquando excipit virulentam, diuturnam repetitamve ſaepius maleve curatam, miaſmate venereo quamvis extincto, neque raro poſt hydrargyroſim; ex eroſione ulcuſculove urethrae relicto. Tumque ſequitur ſtranguria ſaepiſſime vel e tumefactis proſtatis & glandulis Couperianis, vel ab urethra per calloſitatem anguſtata, vel demum per enatas ibidem carunculis quamvis de harum exiſtentia plurimi dubitent. Urina effluit ſaepiſſime bifido rivo.

§. 163. Cura gonorrhoeae benignae ſimplicis inſtituitur abſtinentia a coitu, ab alimentis acribus,

bus, potibus ſpirituoſis, vinoſis, caffée, chocoladae, cerevifiae fortioris, ſubſtituendo ejus loco aquam ſimplicem frigidam, ſerum lactis, corpus modice exercendo; exhibitisque cortice peruviano, aquis mineralibus, aqua calcis cum lacte; balneum frigidum marinum adhibendo, injectione ſtiptica N. 12. utendo. In ſpuria poſt virulentam relicta laudatur catharticum ex rheo ſaepius repetitum, epithemata frigida applicata. Fonticulum aperiendum in crus ſuadet Allen; hic a quibusdam commendatur etiam tinctura cantharidum.

§. 164. In Gonorrhoea virulenta, inflammatio praecavenda, munditiei ſtudendum, diaeta refrigerans obſervanda, venaeſectio ergo neceſſaria ſaepiſſime in ſtatu plethorico; dein laxantia vel cathartica ſalina potius quam draſtica & mercurialia exhibenda, ſtimulum enim nimis augent. Neque omnis gonorrhoea virulenta venerea eſt, neque per ſe facile in luem tranſit niſi intempeſtive cohibita, & ſi aliquando mercurialia poſcit, non eſt ratione fluxus, ſed ratione ſymptomatum §. 161. enumeratorum, quae eidem junguntur & de quibus fuſius in alio loco. Pro potu ordinario ſit decoctum lignorum, ptiſana hordeacea. Membrum balneo tepido immergendum; injectiones quoque tales maximi uſus & quidem in Gonorrhoea virulenta ſicca. Diuretica fortiora haud immerito damnantur, mucus enim qua naturaliter urethra oblinitur, ſic expellitur.

litur. Demulcentia & mucilaginoſa No. 13. melius audiunt & ſcopo ſemper adaptata inveni, ubi nulla ſymptomata venerea. Aliter enim pilulis balſamicis No. 14. frequenter uſus ſum felici cum ſucceſſu.

§. 165. In remediorum uſu perſiſtendum, donec fluxus ſponte fere ceſſat; intempeſtive enim inhibita Gonorrhoea lui praebet originem. Exoſtoſim in frontem eminuiſſe a gonorrhoea recenter ſuppreſſa, complanatamque iterum refluente gonorrhoea, hac denuo retenta luem perfectam conſecutam fuiſſe, certum eſt. Ophthalmia venerea fluxu gonorrhoico ſuppreſſo obſervata ſaepius fuit, eaque ſanata hoc ipſo vel ſponte vel arte, ſcilicet inſitione materiae gonorrhoicae in penem reſtituto.

Cap. XXVII.
DE LEUCORRHOEA SEU FLUORE ALBO.

§. 166.

Leucorrhoea ſeu fluor albus dicitur, pituitoſae albae inertisque materiae per uteri vaginam excretio, quo diſtinguitur a gonorrhoea virulenta, qua liquor flavus, viridis, acris cum dolore partium & urinae ardore per pudenda expellitur, uti capite ſuperiori dictum, minime tamen negandum, materiam effluentem aliquando, tractu quidem temporis in cachecticis, ſcorbuticis praeſertim acrem, coloreque variegatam fieri in Leucorrhoea, atqui in gonorrhoea virulenta ſtatim ab initio habetur talis. Praeterea & menſtruationis tempore fluor albus ut plurimum minuitur, non ita gonorrhoea. Praeter profluvium lumbago adeſt gravativa, facies eſt pallida, reſpiratio difficilis, appetitus deletus, pulſus parvus, nauſea, nec non vomitus torquent, urina eſt craſſa, turbida, mucoſa, interdum vero limpida, tenuis, palpebrae intumeſcunt cum circumferentia livida ſub oculis. Pedes ſubinde tument & alvus conſtipatur.

§. 167. Leucorrhoea refractaria vigorem omnibus functionibus adimit & ſterilitatem inducit.

cit. Quodſi concipiant aliquando foeminae, rachiticos procreant infantes. Vaginae quoque ſaepe afficiuntur prolapſu; inde viris moleſtae, immo & peroſae tales mulieres. Oculi fiunt triſtes & concavi, ſaepiusque in hydropem hecticam & phthiſim tranſit.

§. 168. Cauſae proximae quaerendae in partium nimia laxitate, humoris ſeroſi abundantia, neque raro in nimia vaſorum rigiditate, humorumque denſitate, uti & ſumma nervorum mobilitate & irritabilitate. Cauſae vero remotiores petuntur ex obſtructionibus, varicibus, ulceribus, ſcirrhove uteri, vitio haereditario, debiliori corporis fabrica. Dantur vero quam plurimae cauſae occaſionales, quae in praedispoſitis praecipue Leucorrhoeam facile producunt. Eſculenta ſcilicet craſſa, ſalſa & fumo indurata, vita otioſa, tepidorum abuſus, aer humido-frigidus, inde endemica fere foeminis batavis; epidemica aliquando viſa in ſimili aeris conſtitutione Vratislaviae. Tum & ſomnus & vigiliae nimis excedentes, exercitium immodicum & quies iterum nimis protracta, educatio mollis delicata, excretiones regulares ſuppreſſae, lactis repulſio, inde matres non lactantes huic morbo obnoxiae. Neque raro ex alia oritur metaſtaſi. Militant quoque inter cauſas procatharticas abortus & coitus nimis frequens, inde meretricibus valde familiaris affectus, tum & peſſaria ad uteri prolapſum cohibendum adhibita. Ex animi affecti-

bus moeror diuturnus, clandeſtinus, huic morbo gignendo quam maxime favet, inde viduis, vetulisque proprius fere morbus. Puellis ante menſtruationis negotium quandoque accidit.

§. 169. Morbus refractarius eſt valde. Cura tamen inſtituenda in plethoricis venae ſectione in brachio, quae vero in cachecticis vitanda. Caeterum humores ſuperflui partim evacuandi, partim derivandi. Cui ſcopo inſervire poſſunt purgantia mercurialia, rhabarbarina. Emetica & quidem repetita uti a quibusdam laudantur, cauteria in crure. Dein ſolida laxa roboranda, huic uſui commendantur balnea frigida, quae in ſumma debilitate, primo tepida ſint, ſenſimque ad frigus redigantur. Ubi vero rigiditas nimia peccat, tepida ſemper praeferenda; injectiones ex vino rubro, aqua calcis. Medicamenta, vinum medicatum No. 15. bis aut ter de die ad uncias tres, tum & pilulae No. 16. Monendum tamen, ne intempeſtive aut cito nimis ſupprimatur hic fluxus, inde enim infinita mala oriri poſſe certum eſt. Valent quoque aquae minerales, Pyromontanae praeſertim. Suffitus uterini quoque ex partibus anaticis gummi guajaci, olibani, maſtichis, ligni aloës bis de die uſurpati minime contemnendi. In diaeta vitentur lacticinia, fructus acidi, farinacea, pinguia, potus caffée, theae, cereviſiae. Exercitium modicum multum prodeſt, coitus nimius nocet.

CAP.

Cap. XXVIII.

DE EPHIDOROSI SEU SUDORE MORBOSO.

§. 170.

Sudor continue manans, quo inde debilitetur corpus multum, ſudor morboſus eſt. In corpore ſano nunquam adeſt, niſi accidentaliter, facileque ceſſante cauſa, accedenteque quiete & aeris refrigerio ſedatur. Morboſus vero arguit humoris ſeroſi abundantiam, ſanguinis diſſolutionem, pororumque cutis nimiam laxitatem.

§. 171. Eſt ergo ſudor accidentalis, ſymptomaticus, criticus & colliquativus, iterumque eſt habitualis, conſtans vel tranſitorius, partialis vel univerſalis. Accidentalis oritur a veſtimentis ſtragulisque auctis, medicamentis, alimentisque potibusve calidis & ſpirituoſis cubiculi & aeris calore, a motu validiori.

§. 172. Symptomaticus fit in initio quorundam morborum acutorum & catarrhalium, diebusque paribus & non criticis. Scorbuticis familiaris etiam eſt talis ſudatio morboſa & ſymptomatica, qua nihil a morbo detrahitur, neque inde magnum levamen. In Leypothymiis ſymptomaticus

ticus quoque eſt ſudor ſincopalis frigidus. Criticus eſt, qui in morbis acutis die decretorio, univerſalis, calidus, aequalis per totum corpus exſurgit, praecedente rigore pulſuque exiſtente molli & undoſo, ſubſequenteque omnium ſymptomatum levamine. In fine paroxysmi febrium intermittentium, paroxysmum ſolvit, febrim ipſam vero non ſanat.

§. 173. Inter criticos ſudores recenſendus mihi videtur ille anglicus, peſtis ſpecies Anglis aliquando epidemicus, nullus vero aderat bubo, carbunculusve aut exanthemata, languebant vero cum capitis dolore, pulſu caeleri & inaequali, ſiti inexplebili, anxietate circa praecordia, reſpiratione cita & laborioſa. Sudores per 24 horas, quod fere tempus erat morbo conſtitutum, fluebant copioſiſſimi, diffuſiſſimi; a ſudoris ſuppreſſione minima, mors ſtatim ſequebatur; cardiacis & ſudoriferis tractatus bene ſuccedebat morbus. Vinum hic optimum erat remedium.

§. 174. Similis ei videtur affectus Gallis la Suette dictus, in quo praeter ſudorem profuſiſſimum, adſunt pruritus cum rubedine inflammatoria totius corporis; ſudaminum, apularum ulceroſarum eruptione, oculi ſplendent, pulſus eſt du-

rus,

rus, & ad aliquot dies extenditur morbus. Regimen frigidum, alvus libera hic quam maxime quadrant.

§. 175. Colliquativus eſt ſudor, qui nocturno tempore oritur phthiſicis praecipue circa frontem & collum, quo & multum debilitantur, ulteriusque conſumuntur. Saepe talis ſudor nocturnus habitualis adeſt ſine febri, aliaque cauſa evidenti & absque ullo ſanitatis detrimento. In quibusdam talis ſudor nocturnus fit poſt coenam nimis lautam, obſervante Hippocrate.

§. 176. Sunt qui ſudore partiali moleſto manuum, ſc. pedumve olenti & alarum laborant non ſine ſocietatis incommodo, quique magnum damnum capiunt. Si hic ſudor caſu vel arte ſupprimitur vel emanet, aeque periculoſum foret, hunc ſudorem adſtringentibus repellere velle; quam ſanitatis tuendae cauſa, uti quibusdam mos, ſudores excitare in Laconico. Sudor enim ſanis non neceſſarius, immo noxius.

§. 177. Sudor omnis debilitans, frigidus, particularis circa frontem & collum malus, caeterum ſolida relaxat, cutisque ſpiracula pervia & patula facit, humores reliquos incraſſat, functio-

ctiones laedit & turbat, nocetque magis quam ulla alia excretio.

§. 178. Sudor morboſus oppugnatur a lecto ſurgendo caute, in lecto ſe leviter tantum tegendo, aerem frigidiuſculum admittendo, potum acidulum aquoſum cum pauco vini rubri, nitroſum bibendo, balneis & lavationibus frigidis prudenter ſubinde utendo pro tono fibrarum firmando, aquis martialibus uſurpatis. Nocturnos poſt reconvaleſcentiam depellit SYDENHAM vino Malvacenſi. In colliquativo phthiſicorum laudat BARBUT trochiſcos agarici ad grana duo in vehiculo hora decubitus.

§. 179. Sudores habituales & partiales manuum &c. ſumma cum cautela derivandi, non ſupprimendi ſunt: non enim ſine noxa turbantur; palpitationes cordis, nodoſam podagram, lapidoſam arthritidem, raucam ac ſuſpirioſam vocem, aſthma ſiccum cum tuſſi arida rebelli, totius corporis oſſeam quaſi maciem, vertiginem, ophthalmiam, epilepſiam, aliasque tragoedias, mortemque ipſam a tali ſuppreſſione ſecutam referunt authores.

§. 180. Vicaria inſtituatur evacuatio huic ſudori moleſto, alvi ductio ſcilicet repetita, fonticulus

ticulus vel in brachium vel in crus aperiatur; manuum ſudor praeterea derivetur ad pedes, efformando ſoleas ex linteo cereo & plantis admovendo; probeque ſiccandas bis de die mane & veſperi, ſingulisque ſeptimanis renovandas, abſtinendo a potu aquoſo tepido, ut foetorem minuant parci ſint in piſcium eſu, ab uſu diuturno piſcium ſudorem hominis ſaniſſimi quidem foetere aſſerit Huxham.

Cap. XXIX.

DE FONTICULIS.

§. 181.

Non abſonum mihi videtur in hoc faſciculo de fluxibus, etiam de fluxu quodam artificiali, fonticulo ſcil. agere. Cujus nomine intelligunt Medici ulcus cutis variis modis artificioſe inductum, quo per iſtud diutius apertum, noxius ad ſanitatis tutelam effluat humor.

§. 182. Mos antiquis erat valde familiaris cutem inurere cauterio actuali ſeu ferro ignito ad

ad varios effectus, num vero haec ulcera artificialia noſtris fonticulis ſimilia fuerint, non ſatis conſtat. Mos obtinuit tamen apud plures, noſtros fonticulos cauteria nominare, ex methodo ſc. olim inurendorum ulcerum artificialium. Modus autem hodie fonticulos excitandi triplex eſt fere, quorum expeditiſſimus videtur, ſi locus, quo fonticulus aperiendus, lanceola inciditur & ne plaga iterum cito conſolidetur, globulus ligneus, cicer, piſum aut ſimile quid in eandem intruditur, quod emplaſtro, pannis comprimentibus & faſcia circumducta retentum ab effluente humore turget, & parietum compreſſione ulcus rotundum formar. Verum enim vero inciſio longitudinalis ſaepe id incommodi affert, ut ulcus cavum verſus inferiora ampliatum deſcendat, & e ſua removeatur ſede. Hinc a quibusdam cauſtico potius ulcus inuritur, quod ſcilicet ſequenti fit modo. Emplaſtrum in medio perforatum, loco, cui fonticulus imprimendus, applicatur, pars media humectata excipit lapidis infernalis vel alius cauſtici partem, quae alio emplaſtro ſuperaddito tegitur. Poſt aliquot horarum decurſum cruſta dura formatur, quae inflammatione mota a parte ſana ſecedit & unguento baſilico emollita ſenſim removetur, quo globulus &c. cavo

immit-

ſimmitti poſſit. Vulgo autem epidermidem elevant emplaſtro veſicante, ſtatimque piſum therebinthina aut unguento deterſivo inunctum imprimunt, ulcusque ſic ſordido ac crudeli fere modo formant.

§. 183. Tribus hiſce rationibus ulcus cavum rotundum in adipe formatur, quod quotidie mundandum, ſemel aut bis, prout fluxus major vel minor, vel pro majori aut minori aeris caloris gradu, aliter enim aeſtivo praeſertim tempore ingrate ſaepiſſime olet, quod incommodum etiam inſurgit ex globulis ligneis, quos loco piſi quidam eligunt, cum ſpurius humor eis adhaereat, piſo poſtea novo immiſſo & charta cerea obducta, cum panno complicato per faſciam circumductam firmatur. Sunt qui munditiei nimis ſtudentes charta ſimplici & nitida tantum utuntur. Sunt qui emplaſtra adhibent, indeque cutis obſtruitur, puſtulae elevantur circa ulcus cum pruritu moleſtiſſimo, quo vix ſe a ſcalpendo temperare poſſunt cum inflammationis verae vel eryſypelatis per ejus ambitum periculo.

§. 184. Eligitur autem locus, ubi adeps inter muſculorum commiſſuras, profundum admittit ulcus, neque tamen arteriae, venae, nervo aut

muſcu-

muſculo inſidet, quod ante applicationem digito adhibito inquirendum. In brachio locus aptiſſimus cenſetur inter Deltoidem & bicipitem medius. In foemore ſupra genu inter vaſtum & gracilem optimus eſt. In crure vero ad quartum digitum infra genu inter muſculum ſoleum & gaſtrocnemium externum; atqui non ſine incommodo, quia apparatus haud adeo facile firmari poteſt. Improbat praeterea WEPFERUS fonticulos in poplite, cum ſaepius, uti ait, eryſipelata ſuperveniant, quae ulcera curatu admodum difficilia pariunt. Alia loca minus apta videntur.

§. 185. Si in corporibus macilentis contextus celluloſus parcior eſt, fonticuli fundus ſaepe muſculum attingit, ideoque non tantum ſiccatur, ſed etiam dolores excitat, nec vera exulceratio ullo modo ſuſtineri poteſt. Quod ſi evenit, vel alius locus pinguedine refertus eligendus, vel hoc auxilii genus prorſus omittendum. Aliquando loco puris magnam ſanguinis copiam ſtillat fonticulus, ſiccus non raro diu manet, tuncque violentiſſime prurit. Punctiones quoque, dolores pruritusque ſentitur in eo a cibis acrioribus, acidisve, ab animi affectu graviori, a tempeſtatis ſubita mutatione, indeque efflu-

xus

xus humoris impeditur, tuncque globuli ex radice gentiana rubra formati, aut fructus aurantiorum parvi & immaturi immitti vulgo ſolent; atqui valde ſtimulant, ſaepeque ardorem excitant. Quidam non minori incommodo pulvere cantharidum utuntur: ex meo ſuffragio non niſi unguento baſilico utendum. In initio caro fungoſa ſaepius excreſcit, quam ſaccharo, alumine uſto commode abſumitur.

§. 186. Jam vero videndum, quibusnam in caſibus tales fonticuli aperiendi. Commendantur quidem cauteria & ulcera artificialia ab antiquis temporibus adverſus capitis morbos frigidos & humidos, uti ſcotomiam, vertiginem, cephaleam; oculorum, narium auriumque defluxiones, faucium tonſillarumque affectus, odontalgiam; pectoris pathemata, ut aſthma, phthiſim; articulorum morbos, coxagram &c.

§. 187. Specifice vero laudantur ad apoplexiam, praeſertim ſi a metaſtaſi, uti a tinea, ſcabie male curata, aliter non ſemper utile eſſe remedium in hoc affectu compertum habeo. Apprime hic faciunt verba TISSOTI: Laudo ego, inquit, fonticulos ſc. in apoplexia, ſi primus inſultus morbi alicui diuturno fluxui jam ſuppreſſo

ſucceſſit; tunc enim fonticulus mananti parti applicatus, & reditum apoplexiae impedivit & alios morbos ex eodem fonte ſcaturientes ſanavit, alias parum boni attulit.

§. 188. Maniae, paralyſi mederi dicitur. Ad phthiſin praecavendam & curandam, inter omnia praeſidia fonticulos inſuper prodeſſe comprobavimus, inquit Benedictus, affirmat quoque Hildanus, ſe fonticulorum beneficio, phthiſicos, ſemiphthiſicos, qui ſanguinem ſimul & pus expuebant, ſanatos ipſis oculis vidiſſe. Aquapendens ſcribit ſe in praxi vidiſſe empyematicum quotidie pituitae catinum extuſſientem per fonticulum ſanitati fuiſſe reſtitutum. In phthiſi incipiente bono cum effectu ſaepius adhibui.

§. 189. In ophthalmia maximi ſunt uſus, in morbis oculorum infantum ſaepius cum fructu applicui, ſuſtinuique per aliquot annos, donec viribus increſcentibus, per exercitium quotidianum auctum, humores ſuperflui tranſpiratione liberiori e corpore eliminarentur, ſicque claudebantur ſine ullo conſequente incommodo, quod tamen non tuto feceris in adultioribus, etenim a fonticulo antiquo in ſimilibus conſolidato, multa mala ſequi mortemque ipſam compertum eſt.

Ipſe

Ipſe vidi epilepſiam ortam a fonticulo ab infantia aperto in crure, in virgine propediem nuptura conſolidato. Cauſa autem cognita, veſicans ſtatim adhibui, ulcusque juſſi antiquum iterum aperiri, convaluitque optime.

§. 190. In hypochondriacis juviſſe legitur in collectaneis medicis Hafnienſibus; in gonorrhoea benigna, leucorrhoea, rheumatismo, in arthritide repulſa laudant alii. Diarrhoeam refractariam a tinea male curata ortam fonticuli ope curatam fuiſſe perhibent, in menſium emanſione, in menſibus deviis depraedicatur.

§. 191. Quidam magnis encomiis extollunt fonticulorum uſum ad ulcera crurum praecipue curanda, ſuntque iterum qui minus probant: cauſantes parvum illud quotidianum quamvis effluxum puris, nihil ad talem curationem contribuere poſſe. Ut veritatem autem fatear, non multum fructus mihi unquam contigit videre a fonticulis in ſimilibus exulcerationibus, niſi quod pro uno duo forſan habeant curanda ulcera quotidie, neque ſine taedio; ſi quid praeſtare poſſint derivando humores a partibus nobilioribus incertum eſt. Forte humorum acrimonia optimis

remediis correcta, inſtitutisque ſubinde lenioribus catharticis parum aut nihil metuendum erit a metaſtaſi poſt ulcus cruris ſanatum. Equidem fonticulus tale remedii genus eſt, ut non praeſcribendum niſi ea morbi magnitudo ſit, ut eam aliis remediis absque hoc ſatis domari poſſe vix ſperamus, uti habet GLISSONIUS de arthritide. In hydrope quoque non ſatis bene ſuadent quidam, metus enim eſt gangraenae, quae quidem ſcarificationes leviores ſaepiſſime inſequitur.

§. 192. Tanti vero fit quibusdam fonticulorum uſus ad morbos arcendos, ut ſani quamvis, ſibi tamen fieri fonticulum volunt, ut ſani conſerventur referente HOFMANNO ex *Aquapendente* additque, talem uſum familiarem eſſe quibusdam gentibus. WILLISIUS de febribus, „fonticulos, ait, a cauteriis excitatos adeo omnium penes ſuffragiis praeſervationis gratia contra peſtem uſurpantur, ut eorum uſus vulgo frequentiſſimus exiſtat. MEAD etiam adverſus peſtem commendat ulcera artificialia, praecipue autem in foemore interius paululum ſupra genu. Neminem quod notandum, eorum, qui fonticulos in cruribus & brachiis habuerunt praeter unum aut alterum ſumme cacochymicum peſte obiiſſe memini, ait

HILDA-

Hildanus & alibi, " proinde fonticulum praeſentaneum praeſervativum eſſe inquit tempore peſtis, cum in aliis multis, tum etiam in memet ipſo obſervavi, ego enim duos habeo, alterum in brachio ſiniſtro, alterum in poplite dextro. „ Diemerbrock ſequentia profert „fonticulos ad praeſervationem a peſte inter praeſtantiſſima auxilia ſemper habuimus & multoties obſervavimus, ſi quid veneni jam intus ſuſceptum eſſet, per eosdem naturae vel medicamentorum ope inſigniter & cito evacuatum eſſe. Fonticuli, ait Hofmannus in medicina ſyſtematica, „qui noxias ſanguinis impuritates ac ſeri copioſe emittunt, non tantum levamen afferunt his, qui laborant doloribus acutis, inflammationibusque capitis, affectibus oculorum, ſed etiam utilitatem afferunt tempore quo aer putridus contagioſisque exhalationibus inquinatus eſt, cum enim materia noxia atque corrupta per fonticulos e corpore eliminetur, miasma ſeu virus intra humores ſuſceptum, cumque iisdem circulans majorem vim habet ad corpus inficiendum, ergo non tantum in morbis malignis & contagioſis in genere, ſed praecipue in peſte ab antiquis temporibus cum fructu adhibiti fuere.

§. 193. Ut tandem articulo de fonticulis colophonem imponamus, monendum, fonticulorum exſiccationem in ſenibus mortis prodromum eſſe, vulgo quidem tanquam cauſam, Medicis vero tanquam ſignum. Secretiones & excretiones enim in effoetis non niſi languide perficiuntur, tandemque paulo ante mortem omnino deficiunt. Non inepte inde Rodericus a Castro clauditur fonticulus, quia homo morti proximus, non eſt homo morti proximus, quia fonticulus clauditur.



FOR-

FORMULAE MEDICINALES.

No. 1.

℞. *Tartar. vitriol.*
Nitr. depurat.
Conch. citrat. ana gr. X.

M. f. pulv. diſpenſ. in 6plo, quorum omni bihorio cap. I.

No. 2.

℞. *Aq. cinam. S. V.* unc. IV.
Succ. citr. unc. I.
Liquor. anod. m. H. drach. II.
Syr. Diacod. unc. ſemis.
acetoſ. citr. drach. VI.

M. cap. omni hora cochl. maj.

No. 3.

℞. *Lact. Sulphur.*
Magneſ. alb.
Rh. optimi ana gr. X.

Aloës Soccotorin.
Myrrh. elect.
Croc. optim. ana gr. III.
Aquil. alb. gr. II.

M. f. pulv. No. VI.

Cap. mane & veſpere I.

No. 4.

℞. *Cort. peruv. ſ.* unc. I.
Alumin. rup. ſcrup. I.
Terr. Japonic. drach. I.
Syr. Diacod. q. S. f. L. A.

Electuar. de quo omni bihorio quantitas nucis moſchatae capienda.

No. 5.

℞. *Aſſ. foetid.*
Myrrh. elect.
Gum. ammon. d.
Sagapen. ana drachm. I.
Sapon. venet. drachm. II.
Aloës Lucid. drach. I.
Limat. mart. recent. ſcrup. II.
Extract. Centaur. min. drach. I.

Tere-

Therebinth. V. Q. S. F. L. A.

Pil. ſingul. gr. III.

Doſis tres ter vel quater de die.

No. 6.

℞. *Rad. gramin.* unc. I.

Cort. Tamariſc.

Rad. capparid.

Aurant. ana drachm. III.

Borac. venet. drachm. II.

Croc. anglic. drachm. ſemis.

Hb. Roris marini.

Lavandul. ana P. III.

Limat. mart. recent. in nodul. Ligat. unc. III.

Stent in infuſion. *Vin. Rhenan.* Lib. VI. per octo dies in loco calido.

D. col. & exhibe doſ. unc. III. ter in die.

No. 7.

℞. *Eſſent. Scord.*

Succin.

Caſtor.

Myrrh. ana drachm. I.

Laud. Liquid. Syd. ſcrup. I.

Dentur gt. 40. aliquoties de die in vehiculo aquoſo.

No. 8.

℞. *Extract. cort. peruv.* drach. II.
Succ. catechu.
Rh. optim. ana drachm. I.
M. F. L. A. pil. ſing. gr. III.

Cap. ter, quater de die tres.

No. 9.

℞. *Lapid. calamin.* gr. X.
Op. pur. gr. ſemis.

M. cap. bis de die.

No. 10.

℞. *Aq. plantag.*
roſar. ana unc. II.
Tut. pp. drachm. ſemis.
Sacchar. Saturn. ſcrup. I.

M. f. collyrium, quo oculi ſaepius de die fovendi.

No. 11.

℞. *Pulv. cantharid.* gr. II.
Camphor. gr. III.
Gumm. arab. gr. V.

Sacchar.

Sacchar. albiſſ. gr. XV.

F. pulv. bis de die ſumendus.

No. 12.

℞. *Aq. calcis* unc. VIII.

Mell. roſar. unc. I.

M. pro injectione bis vel ter de die.

No. 13.

℞. *Therebinth. coct.* drachm. III.

Mucil. gum. arabic. unc. ſemis.

Aq. Flor. Sambuc. unc. IV.

Syr. Alth. F. unc. I.

M. cochl. majus ſingulis tribus horis.

No. 14.

℞. *Rh. optim.* drachm. II.

Reſin. guajac. drach. I. & ſemis

Merc. d. gr. X.

et C. ſ. q. Therebinth. Ven.

F. L. A. pil. ſingul. gr. III.

Cap. ter de die tres.

No. 15.

℞. *Hb. roris marin.*

marrub. alb. ana M. I.

Rad:

Rad ariſtoloch.

galang. ana unc. ſemis.

Rhabarb. drach. III.

Cort. peruv. S. drach VI.

Limat. mart. recent non rubig.

in petio Ligat. unc. II.

Stent in infuſion. *Vin. alb.* Lb. IV. per aliquot dies. d. filtret.

Liquor & d. uſui.

No. 16.

℞. *Extract. cort. P.* drach. II.

rhabarb. drach. I.

Alum. rup. drach. ſemis.

Vitriol. mart. calcin. ad albed. ſcrup. I.

et c. ſ. q. Succ. hypocist.

F. L. A. pil. ſing. gr. III.

Cap. tres ter de die.

COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM

PER

FASCICULOS DISTRIBUTUM

FASCICULUS QUINTUS

DE

MORBIS CONVULSIVIS

AVTORE

SALOMONE THEOPH. DE MEZA,

MEDICINAE DOCTORE ET POLIATRO HAFNIENSI, SOCIETATIS MEDICAE HAFNIENSIS MEMBRO ORDINARIO.

HAFNIAE,

APUD CHRIST. GOTTL. PROFT,

BIBLIOPOLAM VNIVERSITATIS.

1781.

ELENCHUS CAPITUM.

Cap. I.

De Spasmo & convulſione Pag. 1

Cap. II.

De convulſione cereali - - 8

Cap. III.

De Chorea St. Viti - - 11

Cap. IV.

De Epilepſia - - - 13

Cap. V.

De Catalepſi - - - 21

Cap. VI.

De Tetano - - - 24

Cap. VII.

De caeteris faciei Spaſmis ſc. Triſmo 30

De Spaſmo cynico ſeu riſu Sardonico 31

De Nyſtagmo & Strabismo - 31
De Obſtipitate - - 34
De Sternutatione - - 34

Cap. VIII.

De cordis palpitatione, tremore & angore 37

Cap. IX.

De ſingultu & oſcedine - 41

Cap. X.

De Priapismo - - 44

Cap. XI.

De Tremore & Carphologia - 47

Cap. XII.

De Contractura & Claudicatione - 51

Cap. XIII.

De Vermibus - - 53
Formulae Medicinales - 65

COM-

COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM

PER FASCICULOS DISTRIBUTUM

MORBORUM FASCICUL. QUINTUS

DE

MORBIS CONVULSIVIS.

Cap. I.

DE SPASMO ET CONVULSIONE.

§. 1.

Motus muſculorum fibrarumve muſcularium involuntarius, inordinatusque, nunc ſine nunc cum dolore, contractione alternave relaxatione, vel & partis rigiditate, convulſio vel & ſpasmus ſi laevior dicitur. Proprie vero ſpaſmus phyſodes ſeu crampus eſt, qui digitos, ſuras collumve ſaepiſſime invadit, frictione facile ſuperandus. Tendinum vero alterna retractio & relaxatio, quam Medici percipiunt, dum pulſum aegrotantium tactu explorant, ſubſultus tendi-

num vocatur, peſſimi quidem ominis utpote convulſionum prodromus in acutis.

§. 2. Caeterum convulſiones ſunt vel univerſales vel particulares, ſeu topicae; tonicae vel clonicae; idiopathicae vel ſympathicae cum aliquali, totali vel nulla ſenſuum abolitione. Cum omnimoda ſenſuum tam externorum quam internorum amiſſione pupillaeque ad lucis acceſſum immobilitate, violentaque alterna musculorum contractione & relaxatione epilepſiam ſiſtunt, quae ſi non recurrit ſemelque tantum invadit, uti fit in dentitione infantum ſaepe, in eruptione variolarum, Eclampſia potius dicenda; non omnino pereunt ſenſus, audiendi enim facultas ut plurimum remanet in convulſionibus hyſtericis. In convulſionibus febrilibus plerumque adeſt delirium & proprie carphologia ſeu floccorum collectio eſt. In convulſionibus particularibus & topicis integer fere ſemper manet ſenſus.

§. 3. Univerſalis eſt convulſio, dum totum ſyſtema patitur nervoſum, uti in epilepſia, catalapſi; minus generalis eſt laeſio in tetano. Membrum peculiare afficitur in ſpasmo cynico, priapiſmo. Contractio perſiſtens & membrorum rigiditatem inducens tonicas conſtituit convulſiones; quae ſi corpus antrorſum trahunt, Emproſthotonon, retrorſum opiſthotonum. Omnino immobile ac rigidum reddit Tetanus. Rigidum cum ſenſuum deperditione pariter ac extaticum ſtatuae quam ſimillimum catalepſis ſiſtit. Contractio momen-

mentaria & tranſitoria cum reciproca relaxatione clonicas facit convulſiones, uti in epilepſia. Senſus perturbatur cum motu brachiorum, crurumve irregulari, riſuque & geſticulationibus involuntariis in chorea St. Viti. Si cauſa reſidet in origine nervorum, vel in ipſo cerebro, idiopathicae, ſi in alio loco quocunque per conſenſum afficiens cerebrum ſympathicae oriuntur convulſiones. Si quis deſiderat exempla morborum, qui per nervorum conſenſum fieri poſſunt ſatagitque cauſas reddere de miro, primo intuitu ſaltem, hoc phaenomeno adeat velim aureum tractatum de morbis nervorum a WHYTT conſcriptum.

§. 4. Pro varietate partis affectae varia acquirunt nomina convulſiones. Sic contractio tonica palpebrarum dicitur cataclaſis, clonica bulbi oculorum & palpebrarum Nyſtagmus. Si musculi faciei convelluntur & riſum quaſi efformant, ſpasmus cynicus & riſus ſardonius, nec non tortura oris, praeſertim ſi unum tantum afficitur latus. Gloſſocoma ſeu linguae retractio verſus fauces, ſymptoma, quod aliquando occurrit in febribus acutis; in ſubjectis ſc. nervoſo ſyſtemate nimis mobili donatis vidi aliquando, infauſto quidem eventu ſemper. Trismus eſt, quando maxilla inferior firmiſſime ad ſuperiorem adducitur, vitium neonatis admodum familiare; ut plurimum vero brevi inde moriuntur. Collectio floccorum, quae fit in acutis cum delirio obſcuro, ſaepiſſime carphologia audit; membri virilis invitam rigidita-

tem tonicam, dolorificam, longitudine potius quam craſſitie extenſi, quo a naturali rigiditate ad venerem neceſſaria diſtinguitur, Priapismum & perperam ſatyriaſim vocant.

§. 5. Pro varietate partis, quam occupant ſpasmi, varia inducunt phaenomena, Dyſphagiam nempe in oeſophago, ſuffocationem, tuſſim in trachea, anxietates in pulmonibus, cardialgiam, vomitus in ventriculo, ſingultus in diaphragmate, colicas, ructus & flatus in inteſtinis, nec non tenesmum, dyſuriam & iſchuriam in veſica, lumbaginem a nephritide non multum abludentem in renibus, referuntur quoque ad ſpasmos ſternutatio, oſcedo, pandiculatio, tremor, cordis palpitatio & dentium ſtridor.

§. 6. Omnia, quae nervos irritare valent, ſpirituumque animalium motus excitare inordinatos, tanquam cauſae convulſionum remotae conſideranda, quae optime reduci poſſunt ad inanitionem & repletionem, ſecundum Hippocratis effatum; quibus vero addere liceat irritatio quaevis. Haemorrhagiae variae, fluxus multiplex, alvi ductio per cathartica fortiora, veneris cultus immodicus, lactatio diuturna, labores corporis mentisque nimii, vigiliae protractae, morbi acuti chronicive vires exhaurientes ad inanitionem pertinent. Plethora, orgasmus major & humorum rarefactio, pituitae accumulatio, ſeri congeſtio, puris retentio, cacochylia, cacochymiae variae, evacuationes ſuppreſſae, ulcerum, fonticulorum conſolidatio intempeſtiva ad repletionem referuntur.

Ani-

Animi pathemata, dolores, plagae, caſus, abceſ-ſus in quacunque corporis parte, nervorum nimia mobilitas; eorumdem laeſiones, halitus venenati, remedia acria, venena, acrimonia quaecunque arthritica, ſyphylitica, ſcabies repulſa. Vermes, calculi, dentitio, ſtimulus mechanicus, labes haereditaria, matris imaginatio in foetu; diſtocia, dura obſtetricis pertractatio, ad irritationem ducuntur. Frigus & huc pertinet, a quo ſaepiſſime ſpasmi & convulſiones fiunt. Hauſtu gelidae aquae ſuffocati quidam habentur, conſtrictis fibris reſpirationi inſervientibus, applicato frigore ad pedes, ventrem aliasve partes, colici orti dolores ex contractis fibris inteſtinorum. Extravaſatum & tumor in uno latere cerebri latens, in oppoſito autem convulſiones excitans, quod quidem conſtanti naturae fere lege obſervatum.

§. 7. Convulſio haereditaria connata, chronica in corpore cacochymico, admodum debili, malum: a repletione facilius ſanabilis quam ab inanitione; facilius enim eſt evacuare quam replere, pejor in adultis quam in pueris. In hiſce enim leviori de cauſa, in illis non niſi maxima de cauſa excitantur. Convulſiones in viris quoque pejores cenſentur quam in foeminis ob nervorum genus in hisce facile mobile. In febribus acutis, inflammationibus internis mali ominis, in variolis ante eruptionem boni augurii, in febri ſecundaria peſſimi, ex reſorpto enim pure fiunt. Convulſiones laeviores utiles praegnantibus &

parturientibus interdum cenſet SMELLIE. Vehementer vero & gravidam & foetum nocent, poſſuntque necare. Tuſſis convulſiva ſalutaris excitatur, ut peregrina pulmonibus illapſa, expellantur. Sternutatio in morbis ſoporoſis bona. Convulſiones ſaepe recurrentes nihil boni promittunt. Convulſionibus manent obnoxii prae ceteris infantes, feminae hyſtericae. Indis endemicos fere eſſe ſpasmos tonicos aſſerit BONTIUS.

§. 8. In cura ad cauſas convulſionum triplices praecipue reſpiciendum, quae enim ab inanitione oriuntur, nullo modo tutius certiusque quam repletione curantur. Satis difficile quidem cum ob vires projectas ingeſta non tam facile aſſimilentur humoribus noſtris. Eligenda ideo talia, quae minimo molimine in ſuccum humanum converti poſſunt. Huic ſcopo autem quam maxime inſerviunt alimenta nutrientia, carnium jura, lac aqua dilutum, ova ſorbilia, chocolada, e quibus conſtat, brevi in ſanguinem mutabilia eſſe. Aquae medicatae, mars & cortex peruvianus ſumma nec ulli ſecunda pharmaca antiſpaſtica, pro roborando genere nervoſo extra paroxysmorum tempora.

§. 9. A repletione oriundae convulſiones compeſcuntur ſanguinis miſſione in plethoricis & evacuationibus ſanguinis ſuppreſſis conſuetis vel naturalibus, quae quidem in ipſis infantibus celebranda ratione habita ad vires, vel ſaltem hirudines applicandae, ubi vene ſectioni haud locus ob parentum praejudicia, vel ſi ob obeſitatem nimiam venae nimis latent. Si convulſiones nimis vehe-

vehementes, tutius inſtituitur ſanguinis miſſio extra paroxysmum evacuationes ſuppreſſae prudenter evocandae. Emetica neceſſaria in cacochylia & ſaburra primarum viarum dein & purgantia. Humores ſuperflui & acriores veſicantibus & fonticulis ſenſim evacuandi.

§. 10. Ab irritatione quae fiunt balneo tepido ſtatim & in ipſo paroxysmo mitigandae, in convulſionibus infantum praecipue ſive a dentitione ſive a vermibus proficuum ſaepiſſime inveni; eſtque ab HYPPOCRATE commendatum fomentum calidum ad convulſiones mitigandas, laxat enim, minuitur ergo inde tenſio & dimittitur pars contracta. CELSUS quoque de cervicis convulſionibus agens, habet, „itaque plerique aqua calida multa cervices ſubinde perfundunt, id in praeſentia allevat; anthelminticis, ſi vermes in cauſa, oppugnandi ſpasmi. Pulvere autem No. 1. ſi acidum colloſtrum in primis viis. Extolluntur hic ab aliquibus flores Zinci ad granum unum vel alterum pro doſi, addito ſaccharo. In quibusdam utiles inveni, in quam plurimis inertes prorſus. Sialagoga mercurialia in uſum vocanda, ubi miasma venereum. Opium, caſtoreum, aſſa foetida, moſchus, valeriana ſilveſtris, in hyſterica nervorum irritabilitate, ſpecifica habentur. In nervorum laeſione vulneribus capitisque plagis, nervorum diciſio, trepanatio, aliaque auxilia chirurgica pro re nata valere poſſunt. Stimulus mechanicus demum arte amovendus, obtundendus. Patet ergo ex dictis, quam vana jactantia remedio-

 rum

rum ſpecioſo titulo antiſpasmodicorum laudatorum, quam inani ſpe lactentur, qui ſpecificis ſic dictis fidunt, ſc. pulveri epileptico Marchionis de gutteta, ungulae Alcis & ſic porro.

Cap. II.

DE CONVULSIONE CEREALI.

§. 11.

Spasmodico-convulſivus affectus plane ſingularis, nec mihi vero, nec caeteris Hafniae Medicis, quod Dei eſt gratia, unquam viſus, ſyndrome malorum & ſymptomatum caterva ſtipatus, ob cauſam, cui ut plurimum tribuitur, nempe tritico aliisque eſculentis rubiginoſis, convulſio cerealis a Cartheusero & ob peculiarem vero titillationem & formicationem, quae in membris percipitur ab Hofmanno motus ſpasmodicus vagus, germanico nomine *Kriebelkrankheit* vocatur.

§. 12. Morbus autem ſic deſcribitur, artuum adeſt praeprimis laſſitudo, capitis dolor gravativus, praecordiorum oppreſſio & anxietas, dein inſequuntur ſubſultus ſpaſtici digitorum aut pedum, nunc in uno, nunc in altero aut utroque latere cum moleſtiſſimo ſenſu formicationis. Temporis progreſſu malum ad omnia progreditur membra, ipſumque corporis truncum invadit cum

cum mira muſculorum ſtrictura, artuum contorſione, membrorumque rigiditate dolorifica. Adſunt praeterea vomitus a cauſa agente in primis viis, cardialgia, tormina, voracitas, pupillae dilatatio haud raro cum vermium excretione.

§. 13. Solvitur aliquando ſudore; diarrhoea, ſaepiſſime vero apoplexia, epilepſia, delirio, atrophia, & gangraenae internae ſignis necat. Saepe tranſit in maniam, ſtuporem, paralyſim & viſus hebetudinem. Recidivam quidam patiuntur, quidam omnino convaleſcunt. Endemicus eſt alicubi, magis vero ruralis quam urbanus eſt affectus. Nulli ſexui parcit, ſed infantibus prae caeteris infeſtus. A quibusdam pro epidemico, contagioſo habetur morbus, a quibusdam non. Hic ergo iterum, quod HIPPOCRATES ait, negat GALENUS.

§. 14. Circa cauſas quoque varia eſt ſententia Medicorum, plurimi vero ſecale cornutum, ſecale recens, panem calidum, triticum corruptum rubiginoſum incuſant. Alii autem inculpatum prorſus volunt, cum ubique creſcat & a quibusdam, manibus plenis editur absque ullo damno. Multi iterum tribuunt aeri humido & frigido, fructuum immaturorum eſui, lolioque temulento nimis abundanti & terrae procreata corrumpenti, anonae penuriae, carnium defectui; iterumque alii a ſcorbuto, podagra retropulſa, corrupta phantaſia, ascaridibus, lymphae acrimonia, ſaburra inteſtinorum, violenta percuſſione oriri poſſe perhibent. Autumno poſt meſſem

producitur, vere mitigatur, aeſtate omnino ceſſat.

§. 15. In cura venae ſectio improbatur, magis tuta cenſetur ſcarificationum inſtitutio & hirudinum applicatio. Caeterum commendantur emetica & purgantia mercurialia, praeſertim ubi vermium indicia; veſicantia, frictiones cum oleo juniperi & ſpiritu ſalis armoniaci, electriſatio. Sudorifera ex conſilioque *Collegii medici Haſnienſis* rob. ſambuci cum cereviſia cocta additaque camphora. Valere etiam creditur decoctum ex ſemine cannabino, foliis alchimillae cum radice glycyrrhizae; in aere tepido & extra lectum ſedeant aegri, veſcanturque pane biscocto, lacticiniis, lacte praecipue ebutyrato, carnium juribus. In prophylaxi oleoſa & pinguia laudantur, ab aliis vero culpantur. Ego autem ad priorum ſententiam accedo. Oleum cajaput, opium convulſiones ſedant, nitrum cum camphora in ſymptomatibus febrilibus bonum praeſtant effectum. De tritico autem depurando atque mundando ad panem conficiendum, magiſtratus potius eſt quam Medici leges ſancire, manetque inter pia deſideria, quo mecum ſentit Michaelis in jure Moſaico.

CAP. III.
DE CHOREA St. VITI.

§. 16.

Chorea St. Viti SYDENHAMO, aliis vero Scelotyrbe, convulſionis eſt ſpecies, pueris atque puellis ante pubertatem quidem familiaris. Non omnibus Medicis una morbi facies, neque uno modo ab omnibus deſcribitur, quod affectus tribuendum raritati. Vidi autem ego eodem fere modo ac a SYDENHAMO traditur, ſcilicet claudicatione, vacillatione, inſtabilitate cruris unius vel utriusque, manuumque geſticulatione ridicula ſe prodit, inde quibusdam epilepſia gyratoria geſticulatoriave audit.

§. 17. Affectae ſubrident, pedum alterum vel utrumque extrorſum, retrorſum projiciunt, trahuntque ac ſi prae debilitate elevare haut poſſent. Mox exiliunt, ſaltant, celerrime ac feſtinanter quaſi in gyrum diſcurrunt; manus continue movent, pocula ad os adducentes non recta tendum linea, ſed variis contorſionibus, impetuque coeco, apponunt ori. Caeterum appetitus viget, immo & interdum voracitas & fames adeſt inſueta.

§. 18. Cauſa proxima in peculiari nervorum irritatione quaerenda; remota vero ſubinde in utero, prima culina, vermibus, menſium anoma-

lia

lia & irregularitate deliteſcit. A terrore ſubinde fit. Ortam vidi absque ulla cauſa manifeſta. Debilitas & mobilitas nervorum cauſa eſt praediſponens.

§. 19. Ad curam quod attinet: venae ſectio & catharſis repetita laudantur a Sydenhamo, emeticum propinavi aliquando. Secundo quoque die cucurbitulas admovere ſiccas muſculis convulſione affectis ſuadet Home. Ut ſyſtema roboretur nervoſum, valent chalybeata, cortex peruvianus; oleum cajaput ad guttulas 6. in vehiculo aquoſo. Oleum animale Dippelii ad guttulas X. pro doſi aliquoties de die. Flores zinci ad grana tria cum ſaccharo ter de die, omnibus fruſtra tentatis proficuos bis inveni in una eademque puella, quae per binos annos inſequentes, aeſtivis caloribus hoc affectu laboravit. Externe balneum frigidum, embrochationes aquarum thermalium & vis electrica commendantur: quam dicit de Haen nunquam fruſtraneam fuiſſe in hoc morbo.

Cap. IV.

DE EPILEPSIA.

§. 20.

Corporis totius univerſalis, vel capitis parti-ticularis clonica convulſio cum omnimoda ſenſuum deperditione, epilepſia audit. Vox origine graeca a lictoribus vel juſtitiae famulis deſumpta, qui injecta manu latrones & maleficos ſubito nec opinantes prehendunt. Etiam morbus ſonticus dicitur vel quia invadens ſontes coram judicibus apparere coactos, illos excuſabat, vel ob ejusdem atrocitatem & ob vim graviter nocendi. Morbus quoque comitialis, quia comitia dimittebantur, ſi quis eo corripiebatur & conſilia dirimebat: tum & herculeus, vel quia Hercules eo laboraſſe creditur, vel quia Herculis ad inſtar inſuperabilis invincibilisque affectus. Morbus demum ſacer vulgo Hieronoſos ob magnitudinem morbi, in quo aliquid divini ſupponebant. Nihil vero divinius aut ſacratius prae caeteris habere morbis, Hippocratis eſt ſententia. Solebant quoque antiquiores omne magnum, ſacrum vocare. Sic enim Virgilius

Auri ſacra fames

Quid non mortalia pectora cogis.

Celsus ideo morbum nominavit majorem; in Evangeliis morbum lunaticum vocant, etenim olim

olim credebatur, hodieque adhuc obſervari ſtatuit Mead circa lunae mutationes, hunc morbum & vehementius & frequentius affligere: regit, inquit Galenus in epilepticis periodos. Quibusdam audit morbus caducus, quia concidunt aegri, dum hoc corripiuntur morbo. Morbus puerilis, quia iisdem familiaris valde. Adulti enim non niſi magna de cauſa incidunt in epilepſiam, infantes vero leviſſima de cauſa. Epilepſia infantilis apud Hippocratem eclampſia nuncupatur. Denique ab aliis Epilepſia morbus ſputatorius vocatur, quia homines ſani ad ejusdem conſpectum expuere ſolent, vel quia ſalivationem aliquando comitem habet, indeque a chemicis ad morbos mercuriales refertur. Sic autem dici, quia aliquando ſalivatione mercuriali indiget ad ejus curationem, uti quibusdam viſum, non ſatis apte videtur, potius enim inde lues venerea, morbus ſputatorius vocanda.

§. 21. Epilepſia eſt haereditaria, connata, acquiſita, accidentalis, acuta, chronica, habitualis, idiopathica, deuteropathica, ſympathica & contagioſa, ficta & ſimulata. Hereditaria pueris familiaris, qui a parentibus epilepticis eadem generantur diſpoſitione. Silet vero morbus ſaepe in filio & tranſit in nepotem. Connata a matris gravidae imaginatione. Fit quoque, ubi concipitur homo menſtruis fluentibus, uti teſtantur Arabes, ideo lege Mosis coitus interdictus cum muliere menſtruata. Acquiſita, a dura obſtetricis cuſtodumve tractatione, a meconio retento in neo-

natis.

natis. Accidentalis a contagio varioloſo, dentitione difficile, diſtocia in foemina annoſa primipara.

§. 22. Paroxyſmus ipſe eſt acutus, ſaepius revertens chronicus eſt affectus, caeterum acuta dicitur epilepſia, dum cito vel in ſanitatem vel in mortem tendit, vitae enim non ſemper periculoſum eſſe affectum, quamvis interdum caſus recens pernicioſus ſit & hominem necet, ait HIPPOCRATES. Chronica & habitualis, diuturna neque raro perpetua fit. Hominem novit VAN SWIETEN, qui vigeſimo quinto aetatis anno epilepticus coincidit, quique vixit ad octogeſimum aetatis annum, vario temporis intervallo ſemper cum hoc morbo mulctatus; nemo in praxi verſatus clinica, aliquando non vidit ſimile quid.

§. 23. Idiopathica eſt, ſi vitium in ipſo cerebro; devteropathica, ſi in alio loco a cerebro quamvis remoto. Sympathica ſeu contagioſa, qualem ſanavit BOERHAVIUS in orphanotropio Harlemenſi, ubi quam plurimi viſo uno vel altero convulſionibus mulctato, convellebantur referentibus KAAU BOERHAVE & WHYTT mira alia exempla ſympathiae habentur apud eosdem autores. Vidit BAGLIVIUS epilepſiam ſympathia enatam, vidi & ego in duabus ſororibus hyſtericis, dum una convulſa ſtatim concidebat & altera.

§. 24. Ficta & ſimulata a ſceleſtis hominibus, variis excitatur de cauſis; juvenem nobilem novi, qui ſeverius tractatus a praeceptoribus epilepſiam ſimulabat, cujus paroxyſmus noctu dormientibus caeteris, ſed cuſtode tantum praeſente ingrue-

gruebat. Parentes & Medicus haud inexpertus deludebantur, ſic per ſex integras ſeptimanas. In conſilium autem vocatus aegrum invenio vegetum, robuſtum omnimodo & mentis & corporis ſaniſſimum; fraudem autem ſuſpicatus, veſicans acre pedibus applicandum propono circa veſperam. Aeger vero de dolore veſicantis nimis anxius ſollicitusve veniam precatur, ut haec encheireſis in craſtinum differatur, viſurus num forſitan acceſſio nocte inſequente emanſura eſſet. Aegre quidem concedo. Nunquam vero poſtea rediit morbus. Alter Medicus curam imputat doloris metui, quo morbo reſiſtebat aeger fortioris oblatione ideae, dum obſervata docent epilepſiam diverſo modo ſanatam, revulſione ab objecto animae intentae.

§. 25. Deſcribenda jam ergo venit epilepſia ſignis ſuis characteriſticis, ut falſa a vera diſtingui poſſit. Dirus ille morbus ſubito adoritur & momento ante ſanos homines proſternit. In paroxysmo ſenſus abolentur, musculi totius corporis convelluntur cum dentium ſtridore & reſpiratione difficili, ſpuma ante os ſub finem praeſertim acceſſionis, neque raro lotii & foecum, ſeminisque per penem invita excretione. Plerique ipſo momento, dum cadunt, validum edunt clamorem, cujus tamen conſcii haud ſint. Oculi manent fixi, tenſi, prominuli, palpebrae agitantur rapidiſſimo motu, raroque integre clauduntur. Bulbi oculi ſaepe magna velocitate rotantur & cornea tantum apparet ſub palpebris ſemiclauſis. Caput

miro

miro modo rotatur, flectitur, brachiorum & manuum mira agitatio, pollices intra compreſſum pugnum tenent, pedibus calcitrant; pulſus fiunt inordinati, celeres, parvi, in fine paroxysmi ſenſim majores. Spuma viscidiſſima erit per os & per nares quandoque ſanguinolenta, ſi lingua paroxysmi tempore dentibus intercepta. Evigilantes omnium, quae in inſultu contigerunt, ignari aut immemores ſunt. Hebetes vero ſtupidique manent pro tempore ſaltem, brevi vero omnino ad ſe redeunt nullo veſtigio praegreſſi acceſſus remanente. In morbo autem ſaepius revertente, diuturno & chronico, veſtigia vix delentur. In ignem incidentes & ſe comburentes nullam inde ſenſationem habent, quod Boerhavius ſe vidiſſe ipſe teſtatur in muliere. Reſpiratio eſt ſuſpirioſa, mugitus & boatus gemitusque inconditos edens, ingratosque a nemine ſine perturbatione audiendos.

§. 26. Ficta vero a vera diſtinguere licet, ſi cutis unguibus intercepta fortiter vellicetur, dolor percipitur, vel ferrum candens ad pedis pollicem applicetur, pulvis ptarmicus naribus intruſus, quo ſternutatio oritur in epilepſia ſimulata; pupilla mobilis & conſtricta ad lucis aut candelae acceſſum, vel ſi oculi integre clauduntur. Connivent enim tantum in vera epilepſia.

§. 27. Praecedere ſolent aliquando inſultum epilepticum, dolor capitis gravativus, vertigo, vigilia vel & ſomnolentia inſueta, inſomnia turbulenta, pavores, anxietates, oblivio, moeror,

 tre-

tremor, aurium tinnitûs, viſus obſcuratio, ſaepeque ſcintillas obvolitantes oculis ſentiunt; aliis moleſtus odor in naribus, ſapor ingratus in ore naſcitur, crebra ſternutatio, quibusdam aura quaſi frigida aſcendit a plantis pedum ad praecordia, loquelae percipitur tarditas, urinae limpidiſſimae copioſae praeter morem excretio. Aliquando ſubito & dicto citius hominem percutit nullo ſigno praevio.

§. 28. Deſinit acuta in mortem & in ſanitatem ſaepiſſime; chronica in memoriae vacillationem, hebetudinem, ſtultitiam, paralyſim, musculorum contractiones, diſtorſiones, deformitates. Infantes luſcos & ſtrabones reddit, ingenii & ſenſuum tarditatem poſt ſe trahit, ſurditatem, linguaeque titubationem; qui epilepſia moriuntur, cutem lividam, immo nigram in variis corporis partibus exhibent, a ſanguinis circulatione in ſyſtemate venoſo impedita.

§. 29. Epilepſia hareditaria incurabilis, uti quae poſt 21 aetatis annum excurrit. Idiopathica periculoſior quam Deuteropathica. Adultos vehementius quam pueros aggreditur. In illis raro, in his ſaepiſſime curatur, circa pubertatis annos ſaepe ſolvitur. De CALIGULA imperatore narrat SUETONIUS, eundem aetatis beneficio ab epilepſia liberatum fuiſſe. Qui ſemel affectu laboravit, vix ſecurus eſſe poteſt, ſe reliquo vitae curriculo immunem ab eo manſurum, cum longum intervallum ſubinde poſt ſe relinquat, antequam anſa vel

vel occaſione oborta iterum inſurgat. Senes certo certius interficit.

§. 30. Cauſae excitantes, remotae infinitae numerantur & in ſolidis & in fluidis externisque quibusdam quaerendae. In ſolidis encephali laeſiones varii, tumores, intropreſſiones, calculus renum, veſiculae ſelleae. In fluidis plethora, cacochymia, acrimonia ſcabioſa, miasma venereum, lympha acris vel viscida, humorum extravaſatio & accumulatio in cerebro.

§. 31. Inter externa occurrunt achorum, tineae repulſio, variolae retropulſae, diarrhoea ſuppreſſa, argentum vivum ad cerebrum delatum, vermes in primis viis nidulantes, ſordes & cruditates indeque epulae, coloſtrum acidum tuncque tormina adſunt & excrementa excernuntur viridia. Praeterea eſculenta acria, medicamenta draſtica, venena, nimia ſanguinis evacuatio, ut in animalibus jugulatis, puerperis aliquando, venus immodica, manuſtupratio, pollutio nocturna repetita, meditationes profundae, dolores quicunque, quin & ſimplex capitis commotio aut ſucceſſio, ebrietas, e potu caffée ſaturato nimis vidi epilepſiam, ad tertiam vicem quovis primo anni die ſemel recurrentem demum lethalem. Dictis addenda ſunt ſtrepitus armorum, inſolatio, inedia, halitus & nidores acres, terrores ab ancillis domeſticisve cuſtodibus incuſſi infantibus & imaginatione denuo excitati, animi pathemata, ira nutricis, dum ſtatim ubera infantibus praebent, impraegnatio, ſubitum corporis incales-

centis refrigerium, quae omnia inſultum aliquando produxere epilepticum.

§. 32. Cura alia in, alia extra paroxyſmum. In paroxyſmo cavendum, ne caput duris allidatur, membra haud contorqueantur, inde artus convulſi blandiſſime extendendi, molliterque continendi, durum quid prudenter interponendum, ſuber ſc. intra dentes molares potius, uti placet BOERHAVIO, quam inter dentes anteriores, cui filum alligandum, ne deglutiatur, quo praecavebitur linguae morſus, alvus clysmate ſolvenda.

§. 33. Extra paroxyſmum & lucidis intervallis vena ſecanda in plethoricis & ubi ſanguinis evacuationes ſuppreſſae. Emeticum propinandum in cacochylia & ſaburra primarum viarum. Anthelmintica neceſſaria v. g. flores ſalis armoniaci ad ſcrup. duos in die, ubi vermes: inciſio apta gingivarum in dentitione difficili, craniiperterebratio in ejusdem plagis; ſcabies repulſa evocanda, data apta doſi florum ſulphuris bis de die. Animi motus opio compeſcendi. In infantibus ab ira nutricis valet remedium No. 2. caeterum omnia in uſum vocanda pro re nata, quae habentur §. 8. 9. 10. de cura convulſionum.

§. 34. Specifica, quae laudantur vulgo, ut plurimum vana & futilia ſunt. Salivatio mercurialis in epilepſia, refractaria tentari poteſt, profuit aliquando, non vero ſemper juvit. Folia aurantiorum commendat DE HAEN. Veſicantia & fonticuli prophylactice & curative laudantur. In titilla-

tillationis ſenſu, ante paroxyſmi ingreſſum, pars ſtatim fortiter liganda, ne aura ultra aſcendere queat.

§. 35. In Diaeta, humidus aer, pluvioſus epilepticis nocet, vitandaque veniunt in victu piſces molliores, praecipue anguillae; aves nigriori carne gaudentes, caro caprina, cervina & ſuilla, aliaque, quae ventriculum gravant, cepae, allium cicuta nocentius, ejuscemodi acria plura. In potu commendantur aquae Spadaneae, corpus vario modo, praecipue equitatione & ambulatione modica exercendum quotidie.

Cap. V.

DE CATALEPSI.

§. 36.

Quo ad paroxyſmos, inter acutos, quo vero ad ipſum morbum, inter chronicos plus minus referenda catalepſis, catoche, congelatio & ſideratio, qui eſt affectus convulſivus tonicus, quo aeger ſubito immobilis rigidusque manet, ſtatuam potius quam hominem referens, ſitum & poſituram membrorum retinens, quo prehenſus, cum ſenſuum tam internorum quam externorum amiſſione. Morbus eſt rariſſimus.

§. 37. Levior eſt affectus, dum ſenſus non omnino pereunt, membraque flexibilia adhuc ma-

manent; ita ut ſi aegrum impellimus, aliquot procedit greſſus, ſi ſedere facimus, ſedet; oculis adſpiciunt immotis & ad interrogata haud reſpondent. In utroque reſpiratio eſt libera & pulſus debilis.

§. 38. Cauſam proximam conſiſtere videtur in omnimoda nervorum & ſubſtantiae medullaris compreſſione. Remotiores plurimae dantur, praecipuae autem ſunt terrores vehementes haud praeviſi, moeror, ſpem fruſtratam inſequens. Sic refert TULPIUS catalepſim ex amore & inopinata matrmonii repulſa in juvene britanno. Gaudium inopinatum; proſtant exempla, quorum cataleptici periere ad primum conſpectum & amplexum amici, quem mortuum credidere redeuntis. Clangor & clamor minus conſuetus, aſpectus rerum horridarum. Conjugem LOTHII catalepſi extinctam; eamque ingentem horrorem, quem triſtisſimae Sodomae interitus reſpicientis animo incutiebat ſubſecutam eſſe, non mihi ſolum, ut verba CARTHEUSERII mea faciam, ſed multis quoque aliis probabile videtur. Animi intentio in unum objectum, meditationes abſtractae, aſſidua lectio in libris myſticis cabaliſtarum, alchemiſtarum, religio, ſuperſtitio potius & cura nimis anxia de ſalute & vita aeterna, ictus fulminis, fumus carbonum, frigus intenſiſſimum, vermes frequentiſſimae cauſae extiterunt. Nec non narium haemorrhagiae ſubito cohibitae, ſanguinis fluxus naturalis cujuscunque repentina ſuppreſſio. Tinea capitis retroacta. Ex plica polonica obſervavit

vavit HIRSHEL, plicam abſcindere jubet, caput frigida lavare ſaepius, morbus evanuit. Ex pollutionibus, animi contentione & vi retentis, ex lapſu demum habetur.

§. 39. Paroxysmus ſponte poſt modicum tempus remittit, non raro narium haemorrhagia ſolvitur vel in funeſtam abit apoplexiam, ſenſorio communi ſc. prorſus occupato. Saepius revertens fatuitatem, maniam, epilepſiam, atrophiam & hydropem poſt ſe trahit.

§. 40. Si curam ſpectemus, fere communis eſt cum omnibus morbis convulſivis. Venae ſectiones, emetica, purgantia, pediluvia, ſemicupia, veſicantia, ſcarificationes pro re nata juvant. Clyſteres praecipue commendantur ex tabaci fumo per fiſtulam anglicanam, frictiones ſpinae Dorſi cum oleo calido: naribus ſupponenda ſalia volatilia, pulvis ptarmicus, quo haemorrhagia excitetur, hirudines ad anum applicandae.

CAP. VI.

DE TETANO.

§. 41.

Tetanus idiopathicus rariſſime Europae viſus in regionibus calidis endemius ſere, a Medicis, qui in ſimilibus regionibus medicinam exercuere, ibidemque obſervarunt, optime deſcribitur. Integros vero tractatus de eo ſcripſere TRNKA Profeſſor Anatomes Tyrnavenſis & STARKE Medicinae ac Philoſophiae Doct. & Prof. Jenenſ. DE HAEN quoque doctiſſimam de eo conſcripſit Diſſertationem. Eſt autem musculorum omnium totius corporis convulſio tonica ſeu rigiditas. De affectu membrorum ſingulorum ſeorſim agetur.

§. 42. In paroxysmo ipſo corpus omnino riget extenſum, immobile, ſupinumque jacet, ſi nulla musculorum tractio, quodque Medicis Tetanus rectus audit. Retrorſum quoque ſaepe curvatur corpus & opisthotonus dicitur, antrorſum flectitur & Emproſthotonus vocatur: quidam addunt Pleurothotonum ſcilicet, dum corpus in alterutrum flectitur latus. Rariſſime hanc tertiam Tetani ſpeciem fieri afferunt obſervatores.

§. 43. Caetera, quae occurrunt, phaenomena in paroxysmo ſic ſe habent: facies modo pallet, modo

modo rubet, quod tamen ſaepius, oculi mobiles, lachrymis pleni, hypochondriorum diſtenſio, ſingultus haud raro, tumores colli, globis hyſtericis haud multum diſſimiles, dolores adſunt abnormes in partibus tetano correptis. Laboraveram olim lumbagine tam vehementi, ut prae dolore ſtatim ac ſitum mutare vellem, ejulare coactus eſſem, demum ſtipitis ad inſtar in ſitu ſupino, lecto affixus manere, impos truncum eripiendi, vel caput ad bibendum per duodecim horas integras. Vigiliae praeterea adſunt, mens & ſenſus plerumque conſtant, quandoque tamen delirium adeſt, reſpiratio ſaepiſſime illaeſa. Aliquando vero ſtertoroſa & ſibiloſa cum ronchis animadverſa. Febri, quae ſemper Tetani comes & ſenſuum conſtantia a catalepſi diſtinguitur, ſanguis eductus inflammatorius, alvus pertinaciter clauſa, ſaliva ſpumoſa continenter fere ex ore fluit.

§. 44. Paroxysmus eſt continuus una vice ſemel vel in mortem vel in ſanitatem finiendus; vel remittens, dum vehementia ſymptomatum interdum increſcit, interdum minuitur, intermittens dum affectus omnino deſinit, ſed per vices recurrit. Caeterum pathema acutum eſt & chronicum, prothopathicum & deuteropathicum. Aliquando ſubito, aliquando lente praevia aliqua aegritudine invadit. Mulieres potius quam viri Tetano, aliisque nervorum diſtenſionibus tentantur, incolae zonae torridae prae Europaeis.

§. 45. Tetani praecurſores aliquando cephalalgia, faucium dolor anginoſus, pleuritis notha, tuſſis ſicca, cardialgia, colica, lumbago, rheumatismus, gravis auditus, artuum tumor, tendinum ſubſultus, convulſiones clonicae, musculorum tenſio & rigor, loquendi tarditas, dyſphagia ſpasmodica.

§. 46. Syntaxin nervoſam in hoc morbo affectam eſſe, nemo dubitabit, variae ſunt autem cauſae, quae talem diſpoſitionem nervis inducere poſſunt; inprimis autem notantur ab authoribus jejunium, nimia exercitatio, labor & coitus frequentior, evacuationes quaecunque nimiae, ſanguinis, lactis, alvi fluxus, catameniorum improvida ſubſiſtentia, aliarumque evacuationum ſive ſalutarium, ſive morboſarum incauta ſuppreſſio, methaſtaſis arthritica, podagrica, eryſipelatoſa, exanthematica, ſcabioſa, pus reſorptum, ulcera aperta antiqua exſiccata, cachexiae variae, vulnera inflicta, tendinum & nervorum laeſio, punctim caeſim, membrorum amputatio, contuſiones, luxationes, dentium caries, ingeſta duriora, viſcida, venena quacunque via, ore, ano, pulmonibus admiſſa, colluvies ſordida in primis viis & frequentiſſime vermes inteſtina inhabitantes; tempeſtas nimis frigida, inde hyeme & autumno ſaepius occurriſſe obſervatum; a graviori onere colli tendinibus diutius impoſito, a decubitu ſub jove poſt vini uſum copioſum, a punctura draconis marini, a fungorum eſu notat de Haen.

Omni-

Omnibus hiſce haud immerito adduntur animi pathemata, ira, terror, moeror, ſic AGLAUROS livore cruciata mutatur in lapidem apud OVIDIUM

At illi
Surgere conanti partes quaſcunque ſedendo
Flectitur, ignava nequeunt gravitate moveri
Illa quidem pugnat recto ſe tollere trunco.
Sed genuum junctura riget, friguſque per ungues
Labitur & pallent amiſſo ſanguine venae
Utque malum late ſolet immedicabile cancer
Serpere & illaeſas vitiatis addere partes
Sic lethalis hyems paulatim in pectore venit
Vitaleſque vias & reſpiramina clauſit
Nec conata loqui eſt, nec ſi conata fuiſſet
Vocis habebat iter, ſaxum jam colla tenebat
Oraque duruerant ſignumque exſangue ſedebat.

§. 47. Morbus eſt periculi plenus, ſenes fere ſemper eo necantur, ex vulnere nervorum ortus plerumque lethalis, ex abortu & haemorrhagia funeſtus ſaepisſime, ſubito invadens intra diatriton fere necat. Ad mortem vero ducit praecedentibus delirio clamoſo, aphonia, ingeſtis per nares redeuntibus, reſolutione ſpasmorum absque evacuationibus criticis in paralyſim; ſudore viſcido & frigido, convulſionibus clonicis.

§. 48.

§. 48. In ſanitatem abit haemorrhagia ſalutari, ſanguinis evacuationibus ſuppreſsis evocatis, abſceſſu, alvo fluxa, urina copioſa craſſa, ſudore calido per totum corpus aequali. Signa naturae ſolutionem Tetani intentantis ſunt, totius corporis pruritus, formicatio per ſpinam dorſi, perceptio funiculorum in dorſo disſilientium quaſi, ſenſus frigidae per corpus decurrentis.

§. 49. Curam aggredientes a ſanguinis miſſione incipiunt in plethoricis & ubi febris inflammatoria, cucurbitularum applicatione cum ſcarificationibus, arteriotomia temporali, hirudinumve ad anum appoſitione; emetica quoque & cathartica commendantur. Verum haec vix exhiberi poſſunt, ubi os clauſum. Clysmata ergo hic potius quadrant. Spasmo vero ſoluto purgantia emeticis praeferuntur; oleum Ricini hic optimum: ubi vermes, colluvies, cruditates, acrimonia humorum metaſtatica, diaphoretica & ſulphurata in ſcabie repulſa. Prodeſſe tradunt etiam frictiones cum oleoſis, oleoſa interne quoque data, fomenta & cataplasmata emollientia, pelles animalium emollientibus imbutae, fimus equinus calidus partibus affectis applicatus laudatur a quibusdam. Non invidendum autem hoc cardiacum, ut cum TRALLESIO loquar, ſi verum fuerit, quod MIZALDUS notat, ruſticos fimo equino ab animi deliquio excitari. DE HAEN idem depraedicat remedium. Fomenta ex aqua frigida, balnea frigida, ſi Tetanus non ab ulcere, in robuſto, juve-

juvene & aeſtivo tempore tentanda, tepida tutiora. Veſicantia, errhina, vis electrica haud negligenda.

§. 50. Specificum vero habetur in hoc affectu opium, ſine quo aegrum evadere non poſſe aſſerit Bontius. Larga quidem doſi ad ſcrupulum integrum ſcilicet exhibendum nycthemeri ſpatio ſuadet Lind. Ad ſpasmum hunc tollendum longe majori opii doſi quam ullo alio in morbo opus eſſe affirmat Chalmer, inchoandum vero vult a minoribus praebiis & celeriter ad majores procedendum. Mirandum autem venit, quod Tetano affecti non patiantur ulla incommoda, aliter ab opio tanta doſi dato certo certius timenda. Etiam & cataplasmatis forma cum camphora plantis pedum applicandum opium ſuadent.

§. 51. Alterum ſpecificum mercurius nempe interne & externe a quibusdam opio praefertur in cura Tetani ob minus periculum illius quam iſtius pharmaci. Quidam ſalivationem eo excitare volunt, quidam iterum hac non opus eſſe ad morbi curationem ſtatuunt. Salivatione inſtante remittere ſpasmos teſtatur Monro. Formula ex Trnkae commentario de Tetano habetur No. 3. Valent quoque moſchus, flores Arnicae a Collin praecipue commendati in quam plurimis affectibus ſpasmodicis & convulſivis. Cortex peruvianus, tanquam roborans & humorum corruptioni reſiſtens, ſi Tetanus periodicus ſpecifice proderit.

§. 52.

§. 52. Diaeta tenuis & abſtinentia maximi uſus in hoc morbo curando. Valent ergo decocta ex oryza, amylo ſagu, pane; olera, piſces teneriores, ova ſorbilia, canula apta, ubi dens aliquis deficit; alimentum liquidius ingerendum, ſi os aperiri nequit; vel etiam dens vi extrudendus. Caeterum lectum teneant tetano affecti in aere tepido.

CAP. VII.

DE CAETERIS FACIEI SPASMIS.

§. 53.

Triſmus.

Mandibulam inferiorem obſidens tetanus, Triſmus audit. Affectus infantibus neonatis valde familiaris & in inſula Minorca referente CLEGHORN crebro eosdem afficit, ut inde lactis ſuctus omnino impediatur, tam arcte os clauditur; capiſtrum etiam vocant, non tantum tonice, ſed & clonice convelluntur musculi mandibulam inferiorem, ſuperiorem verſus celeriter & continue adducentes notante SAUVAGIO.

§. 54. Alimentis frigidis, humidis matrum geſtationis tempore uſurpatis tribuitur cauſa mali, tempeſtatemque humidam frigidam favere huic morbo gignendo ajunt: verum a cauſis internis oriri

oriri potius videtur, intra paucos dies ſere ſemper lethalis fit. Nullum neonatum inde ſanatum unquam vidi, vidi enim multos ſic affectos. Noſcitur ex fletu obſcuriori, minusque diſtincto praeter morem. Alvus quoque conſtipatur.

§. 55. In adultis fit aliquando ex vulnere, dum nervi laeduntur, ex corporibus extraneis, vitro ſc. ea ingreſſis. A ſtipticis vitriolicis, acrioribus, ad ſanguinis fluxum ſiſtendum adhibitis, ab amputatione obſervatum a Lindio ex venae ſectione male adminiſtrata, dum ligamenta aponeurotica & tendines laeduntur. Ex praepoſtero uſu mercurii, ex refrigerio ſubito vidi in gravida. A vermibus, a materia podagrica, arthritica, ex inflammatione muſculorum maxillam moventium. Praecedunt aliquando Triſmum oſcitatio, epilepſia, hyſterica paſſio.

§. 56. Alvus ſolvenda in paroxysmo clysmate ex therebinthina, lacte vaccino tepido. Oleum Ricini ad ſemi cochlear pro doſi dein valet, moſchus, aſſa foetida commendantur; opium in majori doſi datum remedium princeps; litus mercurialis, oleum volatile externe. Nervorum integra abciſio, eorumve totalis deſtructio per cauteria pone aures aliquando remedium extitiſſe perhibent Chirurgi.

Spaſmus cynicus ſeu riſus ſardonicus.

§. 57. Si muſculi faciei & labiorum ſpasmo & convulſione afficiuntur in utroque latere, ita

ut

ut patientes ridere videantur vel rictus eorum ira percitorum & ad mordendum ſe ſe componentium immitentur, riſus ſardonius, cynicusve affectus eſt vocandus. Si alterutrum latus tantum obſidet, potius tortura dicitur oris.

§. 58. Riſus ſardonius occitaniae & ſardoniae endemius fere, ab herba enim, quae Apium riſus audit, ibidemque locorum frequens cum acetariis comeſta facillime oritur. Ex cicutae eſu quoque contigiſſe certum eſt. In ſimilibus vero & vomitus & cardialgiam cum mentis alienatione excitat, & niſi prompte ſuppetiae feruntur, mortem inducit. Venenum hic quam promptiſſime vomitu rejiciendum, dein lac tepidum copioſe hauriendum, oleoſa demum non omittenda.

§. 59. Contingit autem ſaepiſſime ab omnibus aliis cauſis, quae ſpasmos & convulſiones producere valent, neque raro exiſtit epilepſiae & apoplexiae prodromus. Methodus medendi in Tetano tradita etiam hic juvat. Venae ſectio in plethoricis conducit; veſicantia Nuchae brachiisve applicanda. Sanavi aliquando oleo volatili cum laudano liquido externe adhibito ad originem nervorum, neque neglexi opium interne.

Nyſtagmus & Strabismus.

§. 60. Pertinet ad convulſiones faciei Nyſtagmus, qui ſpasmus clonicus oculorum ſeu palpebrarum dicitur; & Strabismus, qui tonicus eſt ſpasmus vel unius vel utriusque oculi, inde non dire-

directe, ſed oblique videt aeger & oculos nunc verſus nares, nunc verſus tempora, vel frontem aut genas trahit. Unus oculus tantum affectus luſcitatem ſiſtit.

§. 61. Nyſtagmus fere ſemper eſt epilepſiae aliorumve morborum convulſivorum comes vel pediſſequus, Strabismus vero non ita, nam aliquando fit nervis prorſus illaeſis ſc. a retinae vitio, a corneae nimia convexitate, a ſitu obliquo lentis cryſtallinae, a contuſione cranii fractura, durae matris laeſione &c.

§. 62. Vitium aſcititium eſt, ſi non connatum infantibus ex negligentia nutricum & inconvenienti cunarum ſitu lucem adverſus, a prava conſuetudine; in juvenibus aliquando fit ex contagio vel ſympathia, dum alios ſtrabones ſaepius intuentur, nec non ex congeſtione humoris catarrhalis, vel etiam a debilitate unius oculi, unde ſano potius utitur aeger & dirigit oblique quidem ad objecta videnda.

§. 63. Qui a convulſionibus oritur Strabismus, ut morbus convulſivus curandus. Ab infantia contractus raro curatur ne quidem larva huic propoſito ab Aegineta adaptata, qua per duo foramina recta tantum antrorſum proſpicere liceret. In Luſcis, qui uno tantum laborant oculo, ſanum probe clauſum ſubligaculis tenere per aliquot hebdomadas aliquando profuiſſe fertur.

Obſtipitas.

§. 64. Spaſmus colli tonicus, obſtipitas, vulgo torticollis, capitis mobilitatem & flexilitatem tollit nativam. In pueris aliquando curavi oleo volatili cum laudano liquido SYDENHAMI externe adbibito. Fit haud raro ex tumoribus collum obſidentibus, ex ſudore ſubito repreſſo, ab inflexione & diſtorſione vertebrarum, qui difficillime curatur.

Sternutatio.

§. 65. Sternutatio motus convulſivus muſculorum abdominalium aliorumque inſpirationi inſervientium & diaphragmatis, ab irritatione quacunque ſive externa ſive interna nervi olfactorii & phrenici; nimia ergo morbus eſt de genere convulſivorum.

§. 66. Caeterum inchoatur per pectoris quantum fieri poteſt dilatationem orisque aperturam, qua magna aeris copia excipitur. Dein fit violenta omnium fere muſculorum conſtrictio ſpasmodica cum compreſſione anxia quaſi circa cardiam, quam ſonora, violonta non ſine magno ſtrepitu excipit aeris prius recepti expulſio.

§. 67. Modica, ſanguinis motum auget, corpus excitat pigrum, ſenſusque omnes acuit, olfactum reddit amiſſum muco narium expurgato, utilis eſt foeminis in partu difficili, in ſecundinis retentis, nimia verò varia inducit mala, cephalalgiam, coecitatem inde ortam curavit HIL-

DANUS

DANUS non nullos ſternutantes, verba ſunt LANCISII, agitato violenter capite, disruptisque eo impetu meningium vaſis, ſubito interiiſſe, quod ſane a TRAMIANO STRADA exemplo piſtoris ſuburbani confirmatur, qui cum ter ac vicies ſternuiſſet, in vigeſimo quarto ſternutamento animam efflavit. Vaſa rumpenda & haemoptoem producere poteſt. Gravidis abortus nec non herniarum cauſa aliis fuit aliquando.

§. 68. Sponte fit ad primae lucis acceſſum ſurgentibus mane, ab errhinis, pulvere ptarmico non aſſuetis praeſertim. Cucumeris aſinini ſucco ruſtici utentes ad icterum curandum ſternutant ad mortem haemorrhagia excitata referente SAUVAGIO. A vermibus in ſinubus frontalibus, nec non in primis viis per conſenſum. In hyſtericis frequens, diuturnus ac repetitus. Narravit mihi amicus ſaepius de propria uxore, quod repetitis vicibus ſternutaret primis matrimonii annis, quoties procreationi liberorum operam dabant, ſterilis inde maneret, donec temporis tractu nervis uterinis obduratis, ſenſibilitate horum imminuta hoc ceſſaret pathema per mirum nervorum conſenſum excitatum.

§. 69. Praecedit ut plurimum morbillos, aliasque febres eruptivas aliquando, frequens eſt in catarrhoſis, epidemicam olim extitiſſe fertur, nuntiumque mortis antiquis fuiſſe, proditum; qua de cauſa ob vitae ſcilicet periculum, ſalutem ſternuentibus a Deo precari mos apud omnes obtinuit gentes. Fertur tempore D. GREGORII magni,

 cum

cum ſternutarent repente multos ſpiritum emiſiſſe. Petronius Arbiter ait Gyton, collectione ſpiritus plenus ter continuo ita ſternutavit, ut Grabatum concuteret, ad quem Eumolpus converſus ſalvere Gytona jubet.

§. 70. Critica fit nonnunquam in morbis acutis & haemorrhagiam praecedit ſalutarem, in plethoricis praeſertim, „quando jam ad ſanitatem venit corpus, ſternutamentum etiam inter bona indicia" Celsus. Secundum Hippocratem ſternutatio ſingultum ſolvit. In paralyſi quoque bona habetur, ſubſiliunt enim aliquando membra paralytica & inter ſternutandum redintegrari in iisdem poſſe motum, repetitis ſternutationum concuſſibus ſpes eſt. Sternutationes violentas quidem damnat Hippocrates in morbis pulmonicis. Dolores ſeveros peripneumonicos, poſtquam per inſigne temporis ſpatium prorſus ceſſaverant, ſternutationis impetu iterum excitatos fuiſſe vidit Huxham. In ulceribus, polypis, cancro, inflammatione aliisque naſi vitiis malum augent. Ergo compeſcendae.

§. 71. Impeditur autem compreſſione, digitorum ope ad radicem naſi ſeu canthos majores oculi, mitigatur quoque vapore aquoſo, lactis tepidi per nares attracto. Venae ſectione in plethoricis, pediluviis, veſicante ad nucham. Periodica aliquando obſervata cortice peruviano curatur, vermes anthelminticis expugnandi.

Cap.

CAP. VIII.
DE CORDIS PALPITATIONE, TREMORE ET ANGORE.

§. 72.

Morbi gradu tantùm diverſi ſunt Angor, tremor & palpitatio cordis. Ad praecipuum ergo attendens cordis palpitatio definitur motus inordinatus cordis, adeo fortis, ut audire ab adſtantibus, oculisque conſpici aliquando poſſit, manus pectori ſuper impoſita impellitur & extrorſum cor extrudi videtur. Coſtas inde fractas atque a cartilaginibus amotas referunt authores.

§. 73. Palpitationi cordis conjunguntur pulſus inaequalis, intermittens, anxietas, membrorum tremor, faciei pallor, ſpirandi difficultas, inſpiratio profunda, pondus & pectoris oppreſſio, dolor in ſterno fixus & pro majori aut minori morbi gradu, longiorive breviorive ejusdem duratione varius.

§. 74. Cauſa conſiſtit in ſumma nervorum cardiacorum irritabilitate, quae iterum varias & infinitas agnoſcit cauſas remotas, internas externasque, in ipſo corde ejusque vaſis, aliis viſceribus & extra pectus poſitis: in ſanguine aliisque humoribus; in ingeſtis, geſtis, animi pathematibus, excretis retentisque quaerendas.

§. 75. Ad cordis vitia pertinent, ejus volumen excedens, polypus, aneuriſma aortae, eorundem oſſificatio, collectio humoris in pericardio, abceſſus, empyema, lapilli, vermes, oſſicula in ipſa cordis ſubſtantia, ſcirrhi & pulmonum tumores; aliorum viſcerum laeſione fit quoque cordis palpitatio, ſic ſubinde ventriculus eſt in cauſa; lienis & hepatis infarctus; veſicae ſelleae calculus. Hypochondriacis familiaris eſt digeſtionis tempore ob copiam flatuum inſurgentium & pectus anguſtantium. Quin & in ipſo cerebro cauſa cordis palpitationis inventa.

§. 76. Ad ſanguinis vitia referenda plethora, cacochymia, acrimonia varia, arthritica, miaſma ſcabioſum; ſudoris pedum ſuppreſſio teſte SIMONE PAULI, affectus ſcorbuticus. Ex potu caffée ſaturato nimis in non aſſuetis ſaltem obſervatur ſaepiſſime ab eſu lentium refert SENAC. Cordis palpitationibus vehementioribus torquebatur MALPIGHIUS, quoties leguminibus veſcebatur. A pomorum acidorum eſu iisdem afficiebatur nuper citatus SIMON PAULI. Cicuta aquatica petroſelini loco appoſita, potus frigidus corpore aeſtuante hauſtus, vapores antimoniales, carbonum fumus, exhalationes putridae, foetidae easdem aliquando excitarunt.

§. 77. A ſanguinis commotione, ab omni vehementi corporis motu in ſanis quidem excitatur ſubinde. A ſitu ſubito mutato in lecto, vel decubitu praecipiti in alterutrum latus. In veneris

neris actu quibusdam ſolet ſupervenire palpitatio. Ab equitatione in ſene narrat HOFMANNVS tam vehementem ut veſtes inde elevarentur. Ab arcta pectoris compreſſione thoracum ope interdum oritur. Ab irae excandeſcentia aliiſque animi motibus frequentiſſime occurrit. Noveram virum, qui a terrore vel ſpe fruſtrata cordis palpitatione afficiebatur continua non tantum, cum anxietate & ſpirandi difficultate ſumma. Mortem eidem praedixi ſubitam, quod eventus confirmavit. Domo enim exire volens limine conſtitit immobilis ac rigidus. Demum a ſanguinis penuria in vulneratis, puerperis, ab evacuationibus ſanguinis ſuppreſſis, a menſium emanſione in virginibus chloroticis viſae ſunt cordis palpitationes.

§. 78. Caeterum affectus eſt chronicus periculi plenus fereque immedicabilis, ſi idiopathicus; tranſitorius, ſanabilis ſaepe, ſi deuteropathicus, ut plurimum vero qui hoc affectu vexantur multos annos vivere non poſſunt & mortis inopinati metum incutit perpetuum, uti paulo ante dictum. Nonnumquam poſt ſe trahit haemoptoëm, aſthma, pectoris hydropem, ſyncopem &c.

§. 79. Cura admodum dubia & varia pro varietate cauſae. Corporis incurvatione vel capitis ad terram inclinatione, quoties redit cohiberi poſſe aſſerit HOFFMANNVS; venae ſectionem prophylacticam in palpitatione ſingulis annis redeunte profuiſſe habet idem. Caeterum

in plethora venae ſectio ſemper neceſſaria, in ipſo paroxysmo. A bilis acrimonia ſedavit WHYTT acidis, ab acidi praedominio, oleo tartari p. d. magneſia alba compeſcui ſubinde; quae in acceſſu fit febrium intermittentium potu aromatico calido inhibetur. Febricoſam & periodicam ſingulis diebus determinata hora vidit STORK & cortice peruviano ſanavit, laxantia leniora cum fructu adhibentur in omni palpitatione. Mercurialia anthelmintica ubi vermes; in ſyſtemate nervoſo debili martialia, camphora. In affectibus ſpasmodicis opium, carminantia No. 4. conducunt. Nec non uſus acidularum, neque medicum expertum latere poteſt, emeticis, veſicantibus, pediluviis, corporis exercitio, replentibus hic etiam aliquando dari locum. Idiopathica palpitatio palliativam tantum admittit medelam propriis cauſis accommodandam & de quibus alibi.

CAP.

Cap. IX.

DE SINGULTU ET OSCEDINE.

§. 80.

Motus convulſivi ſtomachi, diaphragmatisque, quo hoc deſcendit, hic vero aſcendit, cito quidem remittens, per brevius tamen aut longius intervallum denuo recurrens, quo aër cum ſingulari clangore aut ſonitu acuto expellitur per oeſophagum, ſingultus audit. Eſt autem tranſitorius, acutus, chronicus periodicusve.

§. 81. Tranſitorius fit ſingultus a flatibus, ab oſſa aut bolo nimis craſſo vel feſtinanter furtive deglutito: a fruſto pulmonis bubuli in oeſophago reſtitante refert Forestus, a frigore ſuſcepto praecipue in infantibus, a pedum ſubita refrigeratione, a lacte caſeoſo, paſtu ſicco, a fletu; ab affectione hyſterica, a menſibus jam jam erumpentibus.

§. 82. Acutus a materia metaſtatica, arthritica, podagrica, rheumatica, venenis, hernia incarcerata, ileo, ventriculi inflammatione, cerebri laeſione, in morbis acutis, aphthoſis, dyſentericis; a diarrhoea critica intempeſtive adſtringentibus & opii uſu ſuppreſſa; a vulnere, coſtarum ad ventriculum diſtorſione, cartilaginis xyphoidis ad cardiam depreſſione; a ſubita depletione per hypercatharſin..

§. 83. Chronicus fit a vermibus, qui praecipue jejuno ventriculo & magis adhuc ſub inedia diuturniore urget; a bilis turgeſcentia, a viſceribus abdominalibus quocunque modo vitiatis, a partium thoracis mala conformatione annotavit Bartholinus; periodicum & quidem diurnum vidit Manget, ſingulis annis redeuntem per 40 dies durantem a ſolis exortu nempe ad ejusdem occaſum. Nocturnum e contra ſomnum turbantem vidit Hofmannus. Chronicum per plurimos annos continue vexantem vidi a febri intermittente intempeſtive ſanata.

§. 84. Singultus a cauſa interna mali ominis ſemper, cum vomitu, uti in ileo, gangraena, vulnere ventriculi aut diaphragmatis. Libitinae prodromus; tranſitorius hauſtu frigido ſaepe compeſcitur, narratione rei triſtis, inauditaeve, inſolito timore, aut pavore incuſſo, reſpirationis inhibitione. Singultum ſternutatio ſuperveniens ſolvit ſecundum Hippocratem. Si a copia bilis, polyphagia, veneno, neque inflammatio adeſt emetico, ſi a vermibus cathartico anthelmintico mercuriali ſedandus. Ab aphthis deciduis jam remedio mucilaginoſo demulcente. In morbis acutis putridis multum boni praeſtat ad tria quatuorve grana pro doſi moſchus cum ſufficiente quantitate ſacchari albiſſimi omni bihorio exhibitus. In affectu hyſterico opium optime & unice fere conducit, nec male audit remedium no. 5. Veſicans abdomini, vel potius pedibus apponendum, ſi a podagra aut alia materia

acri repulſa. Si ab aura frigida ſtomachus fovendus panno laneo vel linteo mixtura aquae hungaricae cum ſp. vin. camphor. crocat. modice imbuto. Si a vulnere, coſtarum diſtorſione &c. auxilium a perito dextroque chirurgo petendum. Qui a Viſcerum laeſione oritur, non niſi morbo primario curato cedit.

Oſcedo.

§. 85. Invita profunda, lenta tardaque admodum inſpiratio cum magno oris hiatu, quam excipit magna expiratio non ſine ſonitu, nec non pandiculatione vel artuum diſtenſione, oſcedo vel oſcitatio dicitur.

§. 86. In ſanis occurrit poſt nimiam defatigationem, in ſummo frigore aliquando, praeterea in propenſione ad ſomnum, a ſomno evigilantibus familiaris. Fit etiam a deſidia, taedio, per ſympathiam quoque, cum oſcitantibus oſcitamus. Tritum enim eſt: oſcitante uno oſcitat et alter.

§. 87. Tardiorem ſanguinis motum per pulmones arguit. Effectus, motum accelerare, humorum, corpusque tanquam ab onere liberare moleſto cum levamine ſenſibili, mox ab oſcitatione inſequente. Per ſe ergo nihil mali portendit, neque ulla eget medicina.

§. 88. Hyſtericis praeterea & hypochondriacis frequens ſupervenit, in paroxyſmo intermittentium ingruentium ſemper adeſt, nec inſueta iis,

iis, qui ſaburra, cruditatibus, copia alimentorum in primis viis laborant. In parturientibus vero contingens male ominari creditur & pro prodromo affectus ſoporoſi habetur ab embryulcis.

Cap. X.

DE PRIAPISMO.

§. 89.

Continua fere membri virilis erectio dolorifica, vel ſaltem ſine voluptatis ſenſu, quo praecipue diſtinguitur a ſatyriaſi, absque intumeſcentia & voluminis augmento Priapiſmus audit. De chorda venerea, quae cum penis curvatura fit, jam capite de Gonorrhoea dictum. Dicitur etiam Tentigo Veretri, Tetanus mentulae.

Sunt quibus haſta riget ſterili tentigine tacta
\- - - - - - - -
\- - - - - - - -
tunc mentula nolens
erigitur falſosque dolens mentitur amores
inde Priapismi nomen.

Hebenstreit.

§. 90. Cauſa ſeminis copia in non nuptis, a nimia continentia & veneris abſtinentia refert Schenkius, continua genitalium irritatione, manuſtupratione ſaepiſſime fit. Caloreque lecti praecipue augetur, ſomnum interrumpit, humorum

rum orgaſmum excitat & corpus ſuffundit calore moleſto, inquietudinem & membrorum jactationem continuam inducit, ſitum etiam ſaepius mutare conatur aeger.

§. 91. Occurrit aliquando in inſultu epileptico, in Dyſuria, iſchuria, conaminibus haemorrhoidalibus, Lithiaſi ſeu calculo Veſicae, gonorrhoea virulenta, variis urethrae vitiis. In arthriticis, podagricis, rheumaticis ob humorum acrimoniam nervos vellicantem, intendentem, a medicamento purgante in quibusdam vidi ſecutum. Frigus aere ſubinde priapiſmum inducit, quamvis & aliquando tutiſſime frigidae aſperſione mitigetur.

§. 92. Caute in ſalacibus cum applicatione veſicantium procedendum, haud immerito monet BAGLIVIVS ob vim, qua pollent cantharides ad tentiginem excitandam veneream. Cantharides tentiginem & erectionem Veretri facere maximam habet CARDANUS. Ab uſu cantharidum interno, neonupto a rivali in placenta ex pyris confecta exhibitarum, tantum excitatum priapiſmum refert VENETTE, quod non tantum ſponſa laſſata recederet, ſed ſponſus a repetito coitu in mictum incideret cruentum, a quo non niſi magno artis molimine curabatur. Similem hiſtoriam de milite habet LUDOWICUS, qui ut meretrici ex voto ſatisfaceret, et ſe virum in re venerea ſtrenuum & fere invincibilem praeſtaret, cantharidem deglutiverat integram, indeque Priapiſmus atrox non niſi morte ſolvendus, inſecutus.

tus. Ambrosius Paræus priapiſmum annotavit cum ſanguinis fluxu per anum morteque inſequente in juvene, cui in coena, meretricula apposuerat ferculum cantharidum pulvere inſperſum, ut calcar adderet in Veneris Caſtra militanti. Homo Venere languidus ex vetulae conſilio, referente Sauvage, aſſumit cubitum iturus cantharidum doſim, indeque miſer talem contraxit priapiſmum, ut uxorem octoginta vices iniret una nocte, morte brevi inſequente, vel venere exhauſto, vel cantharidum vi diſſoluto. Sed miſericordiam meretur, inquit Tralles homo, qui a vetula medicamentum, cui inerant cantharides, acceperat pro quartana fuganda. Hic abnormi ſatyriaſi correptus, ex amplexibus laſſatae ad nauſeam uxoris Libitinariis ceſſit.

§. 93. Opium quoque priapiſmo producendo favere colligitur, inde quod Turcarum cadavera poſt proelium cum tentigine inventa ſaepe fuerint. Notum enim eſt, quod Turcae in proelium ituri ad audaciam augendam largiter deglutiant opium, indeque trucidati aliquando viriles ſcaphas, erectas atque rigidas habent. Virum ab accepta a medico largiore opii doſi per 24 horas priapiſmo vexatum fuiſſe legitur apud Trallesium.

§. 94. Omnis priapiſmus continuus vel diuturnus vitam vel ſanitatem deſtruit, ex ſtrictura partium ſpaſmodica & ex ſeminis profuſione, ſolida enim temporis tractu exſiccantur, fluida corrum-

corrumpuntur, horumque acrimonia perpetuum fere nervorum excitat erethiſmum. Nullaque voluptas, nullumque levamen percipitur a coitu, ſed febris hectica, phthiſis dorſalis, & mors demum ſuperveniunt.

§. 95. Priapiſmus a ſeminis copia & continentia nimia, diaeta tenuiori, venae ſectionibus, catharticis mitioribus, emulſionibus frigidis, remediis nitroſis, legitimoque demum matrimonio ſedandus. Uti fuſius dictum capite de Nymphomania. Ab irritatione genitalium aſſidua, continentia, caſtitate & applicatione saturninorum externa mitigatur. A cantharidibus, lactiſciniis, mucilaginoſis, camphoratis & externe & interne compeſcendus. Foex vini generoſi externe hic laudatur a Lindestolpe. Ex opii uſu, & ingeſtis & applicatis, acidis, acetove optime curatur.

Cap. XI.

DE TREMORE ET CARPHOLOGIA.

§. 96.

Ad convulſivos morbos tremor quoque referendus membrorum, qui dicitur invita contractio & relaxatio muſculorum levior & celerior ſe mutuo excipiens, quam in ipſis convulſio-

vulſionibus: quique a Lasermo pro leviori habetur paralyſi. Eſtque univerſalis, ſi totum tenet corpus, particularis, ſi membrum vel partem obſidet ſingularem.

§. 97. Fibrarum laxitas nimia, vel et rigiditas excedens, uti in ſenibus, cauſa eſt immediata, qua influxus liquidi nervoſi turbatur, quodque iterum quamplurimis remotioribus debetur; quibus excitatur aliquando tremor, vel tranſitorius & accidentalis, habitualis & inſanabilis; acutus, criticusve, periodicus, qualem vidit Tulpius per integrum triennium ad horas ferme duas in qualibet periodo. Vidi & ego ſingulis diebus recurrentem, nullaque inſequente febri, corticeque peruviano feliciter curavi. Epidemicum aliquando extitiſſe, atque lethalem in Saxonia a vermibus in cerebri ventriculis inventis habet Pressavin. Alius contumax epidemicus, febri ac languore ſubdolo ſtipatus, per tuſſim violentam ſolutus cum ſputis foetidis, diarrhoea, ſudore traditur ab interprete clinico Klein.

§. 98. Frequens eſt in acceſſu febris intermittentis, in febribus continuis infantum, in plethora, orgaſmo nimio, in animi pathematibus gravioribus, ira, metu & praecipue terrore, moerore diuturno, laeſionibus capitis gravioribus, hydrocephalo, hiſce addenda frigus, ſaburra & vermes in primis viis, ſcorbutus.

§. 99. Quae vires exhauriunt, tremores quoque inducunt, inde familiares reconvaleſcenti-

bus

bus a morbo diuturniori, a labore defatigatis, pondera graviora ſuſtollentibus, libidinis intemperantiae deditis, coitum ſitu erecto vel ſtante pede exercentibus, haemorrhagiam aliasve evacuationes immodicas paſſis, vigilantibus diu.

§. 100. Quae nervos afficiunt, uti abuſus fumi tabaci, caffée ſaturati uſus, praeſertim in temperamento melancholico, narcoticorum exceſſus, exhallationes metallicae, ſaturninae, mercuriales, uti bene norunt metallicolae, aurifabri aliique, artifices ſimiles. Potus tepidi aquoſi quicunque copioſe hauſti, vinum, uti videre eſt in vinoſis & bibacibus, praeſertim matutino tempore jejunantibus adhuc.

§. 101. In corpore ſano prodromus eſt paralyſeos, in paralytico ſanitatis, mulieribus poſt partum ex retentis quibuscunque in utero periculoſus, & morbos convulſivos poſt ſe trahit, morte finiendos. In bibonibus tranſit in cachexiam ac hydropem. Pejor etiam cenſetur qui in lecto jacenti & quieſcenti homini contingit, quam qui tantum corpore moto percipitur. In delirio malum ſignum.

§. 102. Remedia quod attinet in plethora, venae ſectio neceſſaria; in primarum viarum ſaburra, vermibus, emetica, purgantia anthelmintica amara; a vaporibus metallicis ortus, ſudoriferis, thermis, balneis ſulphureis, decoctis lignorum cum lacte, frictionibus & machina electrica opti-

me aliquando curatur. Balnea tepida & oleoſa in nimia laudantur rigiditate. Caeterum pro re nata, abſtinentia, quies, temperantia, ſomnus, analeptica, replentia & roborantia valent, caute vitatis cauſis procatharticis. Non niſi morbo primario eradicato curatur ſymptomaticus tremor.

Carphologia.

§. 103. Motus ſpasmodicus manuum, quo aegri floccos e tegumentis evellere, palleas colligere, muscas venari videntur, carphologia Medicis audit. In morbis acutis febribusque mali moris obvia, vel a mentis alienatione vel a ſuffuſione & oculorum vitio, ſemper fere mortis praenuncia: eodem modo ac tendinum ſubſultus, qui Medico praecipue carpum tangenti innoteſcit.

Cap. XII.

DE CONTRACTURA ET CLAUDICATIONE.

§. 104.

Rigiditas ſeu inflexibilitas conſtans & diuturna ſenſim exorta artus cujusdam, brachii ſc. vel cruris, contractura vocatur. Mera ſpasmodica eſt aliquando, unde & hic obtinuit locum, differtque ab anchyloſi, quae fit cum tumore & fungo articulorum, pendetque ut plurimum a deſtructione ligamentorum & tendinum per vim illatam lapſumve.

§. 105. Melancholicis caeterum, arthriticis, rheumaticis diuturnoque morbo affectis facilius talis fit artuum inflexilitas. Scorbuticis quoque, paralyticis, rachialgicis, ſyphyliticis. In auſtria ſatis frequens ex vini auſteri uſu, uti refert van Swieten. In cacochymia ſcrophuloſa, in humoribus vitiatis, uti Rhachiticis morbum frequentem eſſe ait Platner. Metallicis ob frigus ſaxi, quo genibus nituntur, dum opus faciunt, humores enim inde condenſantur.

§. 106. Cauſam proximam quaerunt in ſynoviae & ſucci Haverii ſpiſſitudine, atqui improbatur a Richtero tanquam mera hypotheſis. Atrophiam inducit topicam, ſi a callo, oſſi fra-

ĉto nimis ſuperveniente nullam admittit medelam.

§. 107. Varia quidem laudantur in cura morbi ſatis raro ſanabilis quidem, pro varietate cauſae varia inſtituenda methodo. Quae enim a malo venereo, proprio antidoto extirpanda. Contracturam a rheumatismo aliquando balneo tepido quotidiano per tres quatuorve hebdomadas inſtituto feliciter curavi. Thermae ergo haud inutiliter commendantur vel balnea ſulphurea, quibus crumena ampla prolixo apparatui Medico par. Balneum vaporis non contemnendum etiam, dein pars obvolvenda cataplasmate ex herbis emollientibus, cui ſapo venetus addendus; nec non fricanda litu oleoſo No. 6. demum frictiones mercuriales ex obſervatione le Clerc. Inter topica adhibentur a quibusdam balnea frigida & vis electrica. Parvae membri extenſiones quotidianae haud negligendae. In musculis contractis epithemata ex ſalſilagine vel murica, qua haleces condiuntur, laudat Platner.

§. 108. Interna quoque hic haud contemnenda veniunt decocta lignorum. In diaeta pro potu ordinario, purgantia mercurialia repetitis vicibus propinata. Serum lactis, ſinapinum, infuſum florum arnicae, aquae medicatae, aqua calcis cum lacte, ſapo venetus in forma pilularum copioſe exhibitus.

Clau-

Claudicatio.

§. 109. Vitioſus gradiendi modus, quo corpus ſingulis greſſibus in alterutrum vel utrumque latus inclinat cum cruris elevatione turpi, claudicatio dicitur; quae doloribus variis, rheumaticis, arthriticis, oſſium depravationi a rachitide relictae, fracturis ut plurimum debetur, indeque fere ſemper incurabilis, ſi morbis primariis nulla medela.

Cap. XIII.

DE VERMIBUS.

§. 110.

Vermes, insecta vel animalia viva in corpore animato generata ſi non morbus, ſaltem ferax plurimorum morborum & praecipue convulſivorum cauſa, etiam in hoc faſciculo pertractandi. In omnibus corporis cavitatibus, nec non in ſuperficie & ſubſtantia cutis producuntur, ſed nullibi frequentius quam in primis viis, de quibus prae caeteris agunt ſcriptores medici.

§. 111. Inventi autem fuere in cerebro, ſinubus frontalibus, naribus, auribus, dentibus, ſaliva, pulmonibus, pericardio, ipſoque corde, hepate, renibus, aliisque viis urinariis, ventriculo, inteſtinis nec non in capitis capillitio, in dorſo, partibus muſculoſis, cute & in ulceribus

ſcabie, variolis, aliisque cutis affectibus, qui Elcophagi Graecis dicti.

§. 112. Qui caput infantum obſident, porriginemque excitant, & a neglecta munditie, pectinationeve quotidiana, capiteve nimis tecto oriuntur, pediculi audiunt. Latiores & planiores ſunt, qui aliquando in adultis etiam pubi & ſuperciliis adhaerent. Pediculi cancroſi quoque vel venerei inguina inhabitare ſolent. Phthiriaſis turpis eſt morbus, quo ipſi adulti aliquando afficiuntur & pediculi non tantum exeſi pereunt miſeri, quod de Herode fertur. Nec non de aliis, uti ſequentes indicant verſiculi

Sed quis non paveat Phericidis fata tragoedi
Qui nimio ſudore fluens animalia tetra
Eduxit turpi miſerum qui morte tulerunt.
Sylla quoque infelix tali languore pereſus
Corruit & foedo ſe vidit ab agmine vinci.

§. 113. Non prorſus abſimilis videtur affectus, quo gens acridophaga in Africa circa quadrageſimum aetatis annum plectuntur. Etenim intra eorum carnes procreantur inſecta numeroſa, quae corpus deſtruunt & ad oſſa usque devorant. Recenſeri & hic poſſunt comedones ſeu crinones ſic dicti, qui vermiculi ſunt ſubcutanei, quibus infantes ad atrophiam & marasmum ducuntur, ſi Diis placet, dorſum, crura, brachia & ſuras occupant, pruritum excitant moleſtum, indeque inquieti & vigiles fiunt puſiones. Tum quoque Ver-

Vermis Vena Medinenſis vocata Arabibus & Perſis familiaris: generatur quam maxime in cruribus, quamvis nulla pars corporis humani externe, ſi faciem & collum exceperis, plane ab eis immunis ſit. Cum vero noſtris ignoretur in oris, dicta de hisce & ſimilibus forſan ſufficiant.

§. 114. Vermium autem ſpecies primas praecipue incolentium vias, tres numerantur, rotundi ſcil. lati, ascarides. Rotundi vel teretes vermibus terreſtribus non prorſus diſſimiles, calami ſcriptorii habent craſſitiem; longitudinem vero quod attinet, raro pedis menſuram excedit. Lati e contra mirandam habent ſaepius longitudinem. Ideo quibusdam audiunt maximi. Solium quoque vel ſolitarium vocant, quia unicus tantum creditur in corpore, plures vero aliquando adſunt, & lumbricus teres non raro ſolitarius exiſtit. Taenia etiam vocatur & ex variis ſegmentis ſeu inciſuris conſtat, quidam cucurbitinum nuncupant, alii iterum cucurbitinorum novam ſpeciem ſtatuentes, taeniam ex numeroſis cucurbitinis coagmentatam volunt. Figuram habet planam, variis adhuc donatur nominibus. A quibusdam enim Tyria, Faſcia, demum nomine generico Helmintes vocatur. Gens puſſilla ſed familia numeroſa praecipue in inteſtino recto habitans Ascarides dicta tertiam conſtituunt ſpeciem: parvi admodum ſunt, utrimque mucronati, vivaciſſimi quidem & maximam habent ſimilitudinem cum vermibus, qui in caſeo apparent adeo frequentes. Si quaedam alia animalia praeter recenſita pro-

creantur in corpus animatum inter rariora certo referenda. Cauſa proxima ſtatuitur evolutio ovulorum cum alimentis deglutitorum.

§. 115. Circa vermium geneſim caeterum multa incerta dubiaque traduntur a variis authoribus

Omnia enim nondum
E Jove mortales didicimus, verum adhuc multa
Occulta ſunt, quorum aliqua cum libuerit
Etiam in poſterum dabit

praecipue hanc materiam pertractant Redi, Walisnieri, Andry, Loewenhoek, Startsocker, van Doeveren, varias quaeſtiones circa hoc movet Schacht, nullamque dari ſententiam a difficultatibus immunem aſſerit. Sunt qui connatos nobis vermes, eorumque genus noſtro aequevum eſſe, ſeminiaque in nobis latere & in natos abire cum ſemine patrum aſſumunt. Idque ex authoritate Hippocratis dicentis, lumbricos in puero dum adhuc in utero eſt gigni. Iterumque tum rotundos tum latos lumbricos una cum primo ſtercore per alvum multos pueros dimittere. Videtur Hippocratem accuratius fuiſſe in examinando meconio quam nos. De vermibus aut inſectis, quae in ulceribus elephanthiaſi conſpiciuntur, ſubinde jam Homero innotuit, muſcas vulnera ingreſſas ferro inflicta, ſeminia ibidem deponere vermesque intus inde generari.

§. 116.

§. 116. Diſpoſitio vermium generi favens, eſt inteſtinorum laxitas, acidum, pituita abundans, aetas junior, vita ſedentaria. Cauſa occaſionalis alimenta cruda, fructus horrei copioſi, lacticinia, dulcia nimis, legumina, farinacea non fermentata, lardum ſalitum, carnium, piſciumve eſus immodicus; aquae impurae potatio. Autumno maxime generari vermes ait Hippocrates.

§. 117. Senes raro vermibus vexantur & infantes fere nunquam niſi poſt ablactationem, dum cibis ſolidioribus uti incipiunt. Wallisnier tamen aſſerit contra Riverium, multos dari infantes ſolo lacte vaccino nutritos, qui vermibus plectuntur. Ab ipſa nativitate filiolam Medici de Lille undecim hebdomadas natam vermibus laboraſſe, licet mater illi praeter ubera adhuc praebuerit nihil, traditur a patre ipſo. Adulti non prorſus a vermibus immunes exiſtunt.

§. 118. Signa vermium praeſentiae in primis viis ſaltem, multa quidem traduntur pro varietate partis, quae inde laeditur, varia admodum, quae tamen ſubinde fallacia valde atque incerta. Danturque iterum, qui vermium ignari, vermium incommoda nunquam perpeſſi, eosdem nihilominus ventre gerant; dum in morbis ſeu critice ſeu ſymptomatice eos expellunt.

§. 119. Phaenomena autem uſitatiora, per quae clinici concludunt de vermium exiſtentia in infimo ventre, ut a capite incipiamus, ſequentia haben-

habentur: vertigo, epilepſia, mania, ſomnolentia nimia, pavores in ſomno, dentium ſtridor, labiorum conſtrictio ac ſi ubera ſugerent. Oculi ſemiclauſi dormientibus, viſus fixus, pupillae nimia ampliatio, viſus hebetudo, aurium ſuſurrus, narium titillatio, pruritus, quasque ſemper contrectant, indeque ſaepius haemorrhagia; aphonia, qualem vidi in febri verminoſa ultra tres hebdomadas continuam, aſpectus lugubris, fallax per intervalla genarum rubor. Ut plurimum vero pallent verminoſi cum livore ſub oculis. Obiter tamen notandum, quod noverim pueros quam plurimos bene coloratos, qui tamen vermibus torquentur; patetque ergo inde ſigna ſaepe fallere, neque omnia ubique aut ſemper occurrere.

§. 120. In medio ventre excitatur a vermibus inteſtinalibus, oſcedo, febris erratica vaga, palpitationes cordis, pulſus intermittens, debilis, inaequalis, pulſus tamen verminoſus non ſemper adeſt, h. e. vermium diagnoſis non ſemper a pulſu expectanda. Laterum dolor pleuritidem aemulans, cujus exempla ſaepiſſime occurrunt in praxi clinica, ſingultus, tuſſis ſicca atque ferina, animi deliquia.

§. 121. Ex abdomine tanquam ex equo troyano haec procedunt criteria in verminoſis, halitus foetens, liquor limpidus jejunantibus praecipue ex ore fluens, ſtomacace & gingivarum eroſio; cardialgia, nauſea, vomitus, ſitis inexplebi-

plebilis aliquando; nunc magna voracitas, nunc appetitus proſtratus, pane praecipue ſicco delectantur verminoſi; alvus his nimis conſtipata, illis vero ſoluta nimis, viscida, mucoſa, dyſenterica, ſaepe cum excrementis corpuſcula quaedam cucurbitae ſeminibus ſimilia excernuntur, quod inter evidentiora ſigna. Atqui nullum criterion certiſſimum quam vermium ipſorum per anum aut os ejectio

Lumbricus
Saepe etiam ſcandens oppletis faucibus haeret
Obſeſſasque vias vitae praecludit anhelae.

E naribus quoque titillatione praevia prolabuntur; lumbrici prae caeteris inteſtina perforant, ex abſceſſu abdominis ſubinde prodeunt. Pruritus in ano praecipuum aſcaridum ſignum, cui concomitatur tenesmus. Urinae in pueris verminoſis excernuntur limoſae, albidae lacteſcentes.

§. 122. Praeterea in verminoſis fere ſemper adeſt abdominis intumescentia cum atrophia & marasmo totius corporis, ſudoreque ſubinde membrorum frigido, tumidoque interdum corporis habitu, paralyſi, cutisque flavedine, fereque ſemper qui ictero laborant vermes habere in inteſtinis animadverſum. In ſexu ſequiore praeter abdominis intumescentiam, menſium emanſio quoque adeſt, ut inde referente Spigelio turpi errore honeſta virgo pro gravida caperetur, quae inde moerore confecta periit.

§. 123.

§. 123. Ex dictis veritas illuceſcit effati, „nullum tam peregrinum eſſe ſymptoma tamque Daimoniacon, quod vermes excitare non poſſint, horrenda quidem ſymptomata quandoque a vermibus exoriri, ut non raro ex incantatione produci vulgo credantur, peritos Medicos multa adſtantium admiratione cocodaemones non raro ejicere. Omnia excitant autem irritando, vellicando, conſumendo, indeque ſaepiſſime in junioribus ſaltem mors tragoediam claudit.

§. 124. Artis eſt nidos deſtruere, vermes enecare, atque expellere remediis aſperis, ſalitis, amaris, acidis, foetidis, ſpecificis atque purgantibus; qui vero vivi ſponte & absque artis inſtituto in quibusdam morbis acutis per anum exeunt, in initio morbi ſaltem non multum boni praeſagiunt. Mitius vero de eis judicare licebit, ſi mortui diebus criticis & medicamentorum vi expulſi fuerint.

§. 125. Priorem claſſem complectuntur martialia; longiorem uſum limaturae martis deſtruere quam maxime diſpoſitionem verminoſam aſſerere haud dubitat TYSSOT. Valent ergo quoque eidem ſcopo aquae Pyromontanae, vitriolum martis. Tum ſtannum, de quo experimentis ALSTONII conſtitit, lumbricos inde pelli. Paratur igitur inde remedium No. 7. non vero eidem remedio diu inſiſtendum ob vim qua pollet arſenicalem. Obiter quoque hic monendum, quod ex hisce ſimilibusque ſaepe diſſolvantur vermes in

putri-

putrilaginem, quae excrementis confuſa expellitur, indeque ſaepius fieri, quod adſint ſymptomata verminoſa absque ulla vermium excretione. Inter ſalina numerantur ſalia cathartica, aquae Seidlicenſes. Amara ſunt ſemen tanaceti, cinae, cortex peruvianus, fuligo caminum in forma pilularum. Haec ſolummodo caſu proſunt fibras nempe inteſtinorum nimis debiles ſtimulando. Vermes enim inde necari haud videtur, cum bilis huic ſcopo minus efficax. Acidum vitrioli, acetum.

§. 126. Ad ſecundam claſſem releganda aſſa foetida, camphora, radix phu ſeu valeriana, allium & cepa cum lacte cocta, myrrha, quae tamen inefficacia ſubinde, dum vermes a tenaciſſimo glutine ſaepius involvuntur, unde & ſolventibus evacuantibus potentioribus opus, quae ergo vel prioribus mixta, vel ſeorſim dein exhibenda. Pertinet hic ſulphur crudum, foetore potius quam vi acida cauſtica adverſus vermes depraedicatur, praecipue cum etiam ſatis fortiter ventrem moveat.

§. 127. Specifica autem habentur oleoſa, vermes oleo inuncti minus vivaces redduntur. Vermem humanum vivum excretum oleo communi immerſit LANSONI qui ſtatim inde mortuus. Oleum amygdalinum cum ſucco citri in dyſuria propinatum aliquando vermes expulſit. Petro-

 leum

leum ad aliquot guttas exhibitum efficaciſſimum experti ſunt Aegiptii. Mercurialia, aethiops minerale, ab omnibus fere laudatur; decoctum hydrargyri No. 8. pro potu ordinario vel ad aliquot cochlearia mane jejunanti datum. In quibusdam proficuum inveni, in quibusdam inutile prorſus. Remedium anthelminticum mercuriale Nufferianum minus probo ob vim draſticam in quibusdam, in aliis ob nullam efficaciam, cum tutiora praeſertim dentur, neque minoris quam illud efficaciae. Comprobavit demum experientia uſum aquae calcis, musci corallini, c. c. uſti radicisque dauci ſativi crudi eſum.

§. 128. Evacuantia demum ſunt rhabarbarum, cui ſi additur parum mercurii dulcis vermes integri citius & tutius protruduntur. Spigeliae marilandicae radix tanquam alvum movens etiam addito mercurio depraedicatur a Murray in apparatu medicaminum, contra vermes. Datur in pulvere ad grana duodecim in infantibus, in infuſo ad grana viginti, ſic facilius aſſumitur. Adultis vero datur in ſubſtantia ad drachmam, in infuſo ad unciam dimidiam; ſulphur auratum antimonii tertiae praecipitationis cum auro fulminante commendatur ab Etmullero. Aloës quoque, radix & reſina jalappae, diagridium ſulphuratum, gummi gutta, prudenter & debitis intervallis poſt uſum optimorum anthelminticorum per aliquot dies uſurpatorum, purgantia ſunt con-

contra vermes minime contemnenda, remedia No. 9. 10. 11. mihi fere ſemper probatae fuere virtutis.

§. 129. Externa quoque non negligenda. Sic praeſcribitur clyſter No. 12. vel etiam ex ſolutione aſſae foetidae. In teneſmo clyſma blandum ex lacte optimum. Suppoſitorium formatum e carne veteri ſalita. pinguedine deraſa laudat Andry pro alliciendis aſcaridibus. Linimenta quoque, quibus regio umbilicalis inungatur bis de die, proficua in tenerioribus ſunt. Hiſce addunt quidam unguentum de arthanita caute tamen, aliquando enim tormina & dyſenteriam excitaſſe certum eſt. Formula mihi uſualis habetur No. 13. Num in difficillima cura vermium cum maxime latorum, machina applicanda electrica? proponit de Haen.

§. 130. Pro phthiriaſi, aliisque vermiculis ſuperficiem externam corporis obſidentibus commendatur capitis ablutio cum urina calida, ſpiritu vini, ſolutione aloës in aceto ſquillitico, muria, lotione mercuriali. Mortem ſequi inopinatam vidi in virgine adulta, cui caput inungebatur unguento mercuriali pro pediculis necandis. Semen ſtaphidis-agriae inſperſio tabaci, ſapo niger.

§. 131. Circa uſum anthelminticorum internorum monendum. 1) Quod non diu iisdem inſiſtendum, praeſertim dum non expelluntur: miro enim modo alterare poſſunt humores. 2) Quod decreſcente luna potius operari vulgo creduntur. 3) Quod abſtinendum ſit a cauſis omnibus, quae vermium geneſi ſavent & quidem ab uſu acidorum continuo, quamvis aptiori tempore acida, anthelmintica evadere poſſint. 4) Quod verminoſi ſint plenius cibandi & quidem interdum alimentis durioribus, halecibus ſalitis ex ſententia Rosenstein. 5) Quod potus optimus verminoſis ſit vinum aquae frigidae mixtum.



FOR-

FORMULAE

MEDICINALES.

No. 1.

℞. *Sapon. venet.* gr. III.
Magneſ. alb.
Rh. optim. ana gr. X.
M. f. pulv. bis vel ter de die ſumendus.

No. 2.

℞. *Liquor. C. C. Succin.* gt. III.
Laud. Liquid. Syd. gt. I.
Syr. Diacod. drach. I.
M. pro una doſi.

No. 3.

℞. *Merc. viv. cum mucil.*
Gumm. arabic. q. ſ. ſolut. drach. II.
Syr. papav. rhead. unc. I.
Aq. ſtill. florum papav. rhead. unc. IV.
d. aegr. omni bihorio coch. II.

No. 4.

℞. *Liquor. anod. M. H.*
Eſſent. aurant. ana drach. I.
Sp. nitr. d. drachm. VI.
Laud. Liquid. ſ. drachm. ſemis.
M. S. guttulae 40. omni bihorio in vehiculo aquoſo.

No. 5.

℞. *Sp. nitr. d.* drachm. VI.
Liquor. anod. M. H. drachm. I.
Ol. cajaput. ſcrup. I.
Doſ. omni bihorio gt. XXX. in vehiculo aquoſo.

No. 6.

℞. *Ol. lilior. albor.*
Verbaſc. ana unc. I.
hyoscyam. unc. ſemis.
Camphor. drachm. ſemis.
Sp. Lavand. Comp. drachm. II.
M. pro inungenda parte contracta poſt Baln. vapor.

No. 7.

℞. *Raſur. ſtann.* drachm. II.
Cum. ſ. q. mell. optim.
F. Bolus ſummo mane ſumendus.

No. 8.

℞. *Argent. viv.* unc. I.
Coq. in *aq. font.* ad Lb. I.
d. col. add.
Syr. de cichor. c. rh. unc. I.

No. 9.

℞. *Semin. ſanton.*
tanacet. ana drach. ſemis.
Aſſ. foetid.
Aquil. alb. ana gr. X.
Rad. Jalapp. drachm. I.
Syrup. roſ. ſolut. unc. II.
Cap. duo parva cochl. bis vel ter de die:

No. 10.

℞. *Fell. taurin. inſpiſſ.* drachm. ſemis.
Aloës gummoſ. drachm. I.
Aethiop. mineral. drachm. II.
Limat. mart. recent. ſcrup. II.
Aſſ. foetid. ſcrup. I.
Ol. abſynth. ſtill. ſcrup. ſemis.
F. L. A. pil. ſingul. gr. III. quarum tres bis vel ter de die capiantur.

No. 11.

℞. *Aloës optim.* gr. III.
Reſin. Jalapp. pp. gr. IV.

Vitriol.

Vitriol. mart. gr. II.
Sacchar. albiſſ. gr. X.
M. f. pulv. pro infante mane ſumendus.

No. 12.

℞. *Decoct. fol. tabac.* Lb. ſemis.
Coll. add. *ol. abſynth. coct.* unc. ſemis.
Mell. optim. drachm. V.

No. 13.

℞. *Unguent. alth.* unc. I.
arthanit. drach. II.
Fell. taurin. inſpiſ. drachm. ſemis.
Aloes Lucid. drach. I.
Ol. philoſoph. drach. VI.
anis & cum. d. ana gt. XV.
M. pro linimento anthelmintico.

COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM

PER

FASCICULOS DISTRIBUTUM

FASCICULUS SEXTUS

DE

MORBIS CACHECTICIS

AVTORE

SALOMONE THEOPH. DE MEZA,

MEDICINAE DOCTORE ET POLIATRO HAFNIENSI,
SOCIETATIS MEDICAE HAFNIENSIS MEMBRO
ORDINARIO.

HAFNIAE,

APUD CHRIST. GOTTL. PROFT,

BIBLIOPOLAM VNIVERSITATIS.

1781.

COMPENDIUM MEDICUM PRACTICUM

FASCICULUS SEXTUS

DE

MORBIS CACHECTICIS.

Cap. I.

DE POLYSARCIA ET OBESITATE.

§. 1.

Prima aut proxima diſpoſitio ad cachexiam ſeu morbos cachecticos eſt corpulentia nimia, Polyſarcia ſeu Obeſitas, ſc. pinguedinis mollioris in tunica celluloſa tanta accumulatio, praecipue circa infimum ventrem, ut inde functiones vel actiones minus commode perfici

poſſint. Superfluum eſt nutrimentum, quod reſiduum quaſi a partium apta nutritione natura commode foras expellit.

§. 2. Obeſitatis cauſae remotiores ſunt largus victus animalis, jurulentus, digeſtione tamen non ſatis valida ſubactus, exercitium corporis neglectum; duris laboribus quotidianis victum ſibi comparantes homines pingueſcunt nunquam. Boves in ſtabulis continuo detenti pingueſcunt. Somnus protractus, dantur animalia, quae totam dormiunt hyemem, circa ver autem evigilantia obeſiora apparent. Sic canit Poëta de Glirium ſpecie, qui catervatim in antris ſine alimentis mediam anni partem dormiunt & ſomno tantum nutriuntur.

Tota mihi dormitur hyems & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

§. 3. Dictis addenda veniunt, animi tranquillitas & a curis libera apatheia, evacuationes ſanguineae ſuppreſſae, mutilatio alicujus membri, peſſima methodus ſanguinis in plethoricis ſaepe mittendi: vidit van Swieten foeminam, cui ſexagies & ultra vena ſecta fuerat intra anni ſpatium, quae inde obeſiſſima facta paucorum menſium ſpatio 150 librarum pondere aucta fuerat. Demum etiam inter cauſas obeſitatis referenda emigratio e climate calido in frigidius.

§. 4.

§. 4. Obeſi ut plurimum ſunt debiles, humores habent tenues nec ſatis bene mixtos ob motus circulatorii tarditatem; ſegnities adeſt ad motum, reſpiratio minus libera, nec facile ſupini cubant ob pectoris anguſtiam. Carnes molles, flaccidae; ſudor facilis, vaſa abſcondita parva, pulſus inde debilis; chirurgi in obeſis difficilem experiuntur venae ſectionem. In mulieribus abortui & ſterilitati anſam ſaepe praebet obeſitas. Improbandus ergo cum Martiale mos mulierum Aegyptiarum obeſitatis ſibi procurandae libidinis ergo; pinguiores enim libentius a viris expeti refert Alpinus. Europaeis e contra mulieres pinguiores minus gratae. Ceſſantibus menſtruis vetulae plurimae pingueſcunt, & bene habent. In virginibus obeſis menſtrua tarda & parca fluunt. In pueris difficiliorem praeſagit dentitionem.

§. 5. Caeterum obeſi nimis, ſubjecti manent ſuffocationi, aſthmati, apoplexiae, qui natura ſunt valde obeſi aut craſſi magis ſubito moriuntur quam graciles. Hippocrates. A nimia pinguedine enim comprimuntur vaſa & nervi. Indeque etiam calculo obnoxii fiunt ulceribus crurum & hydropi. Quam maxime quoque periclitantur in febribus acutis ob oleoſi diſſolutionem & ſanguini rancidam inducentis acrimoniam. Citiusque quam graciles aegrotant & obeſorum cadavera etiam citius in putredinem abeunt.

§. 6. Lente curandi obeſi 1mo: victu parco, facile enim jejunium ferunt, ob pinguedinis reſorptionem, quae amiſſum reparat nutrimentum. Animalia bruta quo pinguiora, eo parciore egent pabulo. 2do Potu caffée, aquae, ſeri lactis ebutyrati, vini oligophori acidi, rhenani, acidularum, aceti ſquillitici jejuno ſtomacho hauſti. Solius aceti uſu pinguedinem depoſuiſſe quosdam, referunt ſcriptores. Foeminam novi, quae geſtationis tempore quam maxime aceti potu delectabatur, indeque prolem imbellem ſemper macilentam pariebat. 3tio: Uſu aromaticorum, amarorum, ſaponis, cremoris tartari, ſalis polycreſti, nitri tamarindorum. 4to purgantibus repetitis, ſeminis legitima nedum illegitima excretione, tabaci fumi ſuctu, fonticulis, ſudoriferis ſc. decocto lignorum ſpecificeque guayaci, labore & corporis exercitio non interrupto neque violento tamen, frictionibus, ſomni detractione.

Cap. II.

DE CACHEXIA.

§. 7.

Malus corporis habitus a depravata humorum aptitudine ad nutritionem, cachexia & cacochymia audit. Concurrunt enim ſemper parique paſſu incedunt humorum feroſorum lymphaticorum corruptio & ſolidorum inertia, facileque una nata alteram inſequitur.

§. 8. Talem diſpoſitionem inducunt victus tenax, viſcoſus, farinaceus, leguminoſus, uti fabae nempe, piſa, lentes: cibus craſſus, carnes ſalitae fumove induratae pingues nimis & acres. Ingeſta duriora naturae viribus haud domanda, qualia ſaepe expetuntur a gravidis, crapula, tepidorum ſpirituoſorumve continua ingurgitatio, quies, vita iners & otioſa.

§. 9. Varia vitia organorum, viſcera infarcta, indurata, ſcirrhoſa, humorum pravae qualitates a blanditie naturali deflectentium, febres intermittentes male, vel intempeſtive curatae; ſubitis & continuis evacuationibus humorum copia imminuta, haemorrhagia, alvi fluxus, ſudor nimius, purgantium abuſus. Evacuationes neceſſariae vel conſuetae ſuppreſſae; tinea repulſa cachexiam

ſere in actum ducunt. Obeſa & rara corpora cachexiae prae caeteris patent.

§. 10. Symptomata morbi primaria ſunt reſpiratio anheloſa, vires parum conſtantes, membra languida, color faciei pallidus, flavus, luridus, corporis habitus ſubtumidus & leucophlegmaticus, pedes oedematoſi, tumor mollis ſub oculis reſidens praecipue. Cordis palpitatio ad minimum corporis motum, inteſtinorum murmura & flatus, urina copioſa, pallida, tenuis, ſudor indolis ejusdem; vulnerum vel ulcerum curatio ob depravatam humorum conditionem difficilius procedens. In majori gradu adſunt ciborum faſtidium, crebrior male olens vomitus, alvus nimis adſtricta, urina pauca, malus odor e toto corpore exhalans, febris lenta, quae omnia mortem brevi inſtare praenunciant.

§. 11. Cachexia plenaria raro ſanabilis. In virginibus chloroticis menſium promotio optima cura, de hiſce vero jam alibi actum. In ſenibus & vetulis certo certius lethalis, in adultis difficilis curatu. In ejusdem curatione quidem contraria saepe requiruntur; viſcida enim nunc attenuanda, tenuia nunc iterum incraſſanda. Alimentis igitur ſiccioribus modo, fluidioribus modo utendum pro re nata, varietate cauſae aut effectus; eligenda vero ſemper talia, quae cauſis notis oppoſita. Condimenta danda alcalina, acida ratione vitii & acrimoniae praedominantis, potus vinoſus aliquando purus, meracior, aliquando

aqua

aqua dilutus, cereviſia generoſior; panis biscoctus, caro aſſa, vegetabilia, ſi digeri poſſunt, concedenda. Corporis exercitium & in aere puro, libero, campeſtri, ventis perflato neceſſarium, frictiones, vectiones, equitationes & ambulationes non negligendae.

§. 12. Medicamenta autem quod attinet, in anteceſſum conducunt leniora purgantia, rhabarbarina, emetica tutiora ex radice braſilienſi ob vim roborantem, qua pollet; ſalia amara, aquae minerales dein remedia amara, limatura martis acidis potius quam alcalinis unita, optime in vino rhenano infuſa. Balneum frigidum prudenter applicatum, ut corpus nimis flaccidum roboretur, Aetii eſt conſilium. Specialiora deſcribentur remedia in morbis cachecticis ſpecialioribus.

§. 13. Morbi cachectici praecipue habentur, ſcorbutus, tympanites, hydropis omnes ſpecies, icterus, rachitis, ſcrophulae, elephanthiaſis, lepra, ſcabies, tinea aliique pruriginoſi cutis morbi. Alopecia, plica polonica, elcoſis, gangraena, necroſis, morbi venerei.

Cap. III.
DE SCORBUTO.

§. 14.

Symptomatum magna ſyndrome ſcorbuti arduam reddunt morbi definitionem. Neque facilius ſuccedit res, ſi pathognomonica, ſtomachacen & ſcelotyrbem ſpectemus, dum non ubique ſeu in omni morbi adſunt gradu. Nec ſi eſſentiam conſideremus, dum in alcalina, acida, muriaticave ſanguinis acrimonia conſiſtere credunt diverſi ſcriptores; nihil aliud ergo dicere poſſumus, niſi quod ſit ſui generis cachexia ab affectibus mox enarrandis tantum dignoſcenda.

§. 15. Circa remotiores cauſas quoque varia admodum eſt Medicorum ſententia. Quidam enim, dum Nautis in longis navigationibus affectus eſt familiaris & epidemicus fere, atmosphaeram ſalinam & alimenta ſalita incuſant, quod a Lorry cum aliis negatur, dum ſc. Pringle, Lind vim ſalis antiſepticam agnoſcunt. Interim tamen negari minime poteſt, ab hac aliisque jam recenſendis cauſis, ſi non generari, foveri ſaltem augerive ſcorbutum.

§. 16. Sunt ergo victus ſalitus, durus, infumatus, ſiccus, viscidus, caſeus vetus, acris; lardum, piſces ſine pane multo: olerum & vegetabi-

tabilium recentium defectus. Aquarum putridarum, verminoſarum potus, tepidorum & ſpirituoſorum abuſus. Aer frigido-humidus, halitus marinus, loca paludoſa mari vicinia, depreſſa, habitacula humida, vita otioſa. Reconvaleſcentia a morbo, febris intermittens refractaria & multo cortice peruviano refrenata. Salivatio mercurialis nuper ſedata; evacuationes debitae ſuppreſſae. Animi pathemata, uti moeror, triſtitia diuturna. Demum & labes hereditaria, quae omnia ſolidorum atoniam & fluidorum discraſiam inducunt, quibus perſpiratio inſenſibilis quam maxime ſupprimitur.

§. 17. Scorbutus morbus eſt minime contagioſus, communis tamen pluribus una eademque diaeta utentibus. Inde in navigantibus, in caſtris, urbibus obſeſſis epidemicus fere, ob victus rationem & motus defectum. Endemius autem easdem ob cauſas in locis borealibus, uti Dania, Islandia, Groenlandia, Suecia, Hollandia ob aeris indolem.

§. 18. Signa ſcorbuti ſunt varia pro vario morbi gradu, qui ſenſim niſi in initio ſuffocatus, increſcit: ergo habitus cachecticus prior ſcorbuti gradus dici poteſt. Cui concomitatur deſidia & ſedendi amor, evigilantibus membrorum quaſi dedolatio. Inſequitur corporis laſſitudo, reſpiratio difficilis, defatigatioque ſumma ad minimum motum cum crurum vacillatione, acclivia aſcendentes fere ſuffocantur a cibo ſumpto torpor & ſomni deſiderium. Gingivae pru-

riunt, intumeſcunt & ad levem attactum ſanguinem nigricantem, ſolutum fundunt.

§. 19. In ſecundo ſtadio anima foetet, dentes & gingivae nigreſcunt, ſpongioſaeque fiunt, dentes nudantur & vacillant, haemorrhagiae fiunt, non nunquam laeviores. Cutis maculis lividis, parvis latis ſubindeque vibicibus echymoſium haud diſſimilibus interſtinguitur, in cruribus trunco & brachiis quam maxime conſpicuis. Tumor adeſt pedum oedematoſus, circa veſperam increſcens, mane vero lecti tepore & ſitu horizontali praecipue evaneſcens.

§. 20. Tractu temporis autem doloribus vagis oſteocopois articulorum excruciantur, membra rigeſcunt & tendinum fit contractura, ſonum crepitantem inter movendum edunt oſſa. In ſterno dolor fixus ſaepe oritur cum tuſſi: nec non dolores colici; quibusdam alvus ſtricta, quibusdam ſoluta, foetens valde dyſenterica. Urina ſcorbuticorum eſt obſcura, oleoſa, lateritia, lixivioſa, facile in putredinem vergens, matula ab urina incruſtatur magis quam ab aliis urinis.

§. 21. Vexantur demum plurimi ulceribus ſordidis, lividis, minime pus ſed ichorem ſanguinolentum foetidum fundentibus, eſcharas formantibus carni ſubjacenti fungoſae firmiſſime adhaerentes, & ad omnia optima quidem eſcharotica rebelles, ſemperque renaſcentes & in gangraenam facile ad minimam preſſionem proclives. Animi deliquia in hoc rerum ſtatu frequentia,

haemor-

haemorrhagiae, haemoptoes lethales, mors inopinata ad motum vel ad aeris acceſſum ſeu expoſitionem liberioris. Febres petechiales, putridae, epidemicae, contagioſae peſſimi moris vix ulla arte ſanandae, ſudores colliquativi, nervoſi affectus, anaſarca, hydrops tragoediam fere ſemper claudunt. Hyberno & autumnali tempore peſſime, aeſtivis caloribus melius habent ſcorbutici.

§. 22. Ad curam autem praecipue favet veris appropinquatio ob aëris indolem tepidiorem ſicciorem ve, copiamve olerum recentium, ſine quibus nulla ſcorbuti perfecta ſanatio. Juvat ergo in primis tradere methodum, qua ſcorbutici ſive prophylactice ſive palliative curantur, donec opportunius nacti tempus curative omnino tractentur.

§. 23. Habitacula ergo & domicilia ſeligentur ſicca in altioribus aedium tectis, focis accenſis aer corrigetur humidus, corpus probe veſtimentis tegatur. Victus vitetur ſalitus. Lappones, qui omnes fere ignorant ſalis uſum in cibo, a ſcorbuto vivunt immunes, honoratiores apud nos a ſalſis cavent, ne ſcorbuto corripiantur ſine motu viventes, Linneus. Aves aquaticae quoque nocent in ſcorbuticorum diaeta. Olera ſint braſſicarum omne genus, praecipue rubra. Tum etiam condita ſale & per fermentationem acidulata. Pro condimentis ſummopere laudantur allium, ſemen ſinapios & raphanus ruſticanus, acetum. In bellariis poma, pruna cruda coctave,

uvae

uvae paſſae, corinthiaceae. Pro potu ordinario vinum rhenanum. Vinoſus potus optimum antiſcorbuticum, unde forſan minus communis ſcorbutus borealibus populis, ex eo tempore, quo vini uſus invaluit inter eos. Valet quoque Punch debilior, cereviſia generoſior, Ale Britannorum vel medicamentum No. 1.

§. 24. Vere & aeſtate appropinquantibus, varia juscula, fercula & acetaria parari poſſunt ex oleribus recentibus ſc. cochlearia, becabunga, acetoſa, acetoſella, endivia, portulaca, pimpinella, taraxaco, ſpinachia, apio, tum etiam bellaria ex pomis citreis, aurantiis; fragis, ribeſiis, ceraſis, melonibus, pyris. Potus fiat ex ſucco limonum cum ſaccharo limonada dictus.

§. 25. Alvus laxa non fluens ſervanda in ſcorbuticis. Inſerviunt huic ſcopo lac ebutyratum, ſerum lactis tamarindatum vel & cum ſale polycreſto, cremoreve tartari paratum. Purgantia quam maxime nocent, majusque inde damnum inſurgit, ſi mercurius iisdem additur. Diſſolutionem enim humorum augent & ſalivationem, in quam prae caeteris ſcorbuti proni vix compeſcendam excitant. Atmoſphaeram mercurio utentium ſcorbuticis noxiam vidi, ſalivationem inde ortam ſatis moleſtam in iisdem obſervavi. Venae ſectio raro aut nunquam conducit.

§. 26. Specifica remedia antiſcorbutica ſunt cortex winteranus, trifolium paluſtre, chelido-

nium

nium minus, cochlearia, becabunga, fumaria, eupatorium cannabinum. Decoctum abietis, Strobulorum pini; infuſum hordei toſti a Mackbreidio laudatur. Aqua picis liquidae a Barcklay. Pomaceum ab Huxhamo nautis commendatum in longis navigationibus. De caetero Lind adeundum, ut inde addiſcamus methodum, qua nautae arcendi a ſcorbuto. Valent praeterea ſucci antiſcorbutici No. 2. vel & horum defectu, exprimatur ſuccus cynaræ, cui admiscenda tertia pars vini malagenſis. Sudor quoque in hoc morbo movendus decocti lignorum ope, balneique tepidi, praeſertim aromaticis acuati. Si non admodum vires proſtratae, neque metus haemorrhagiae adſit, fumus tabaci modicus non inutilis.

§. 27. Neque oſcitanter agendum cum ſymptomatibus, quae in hoc morbo palliativam certo requirunt medelam; itaque ſtomachace gingivarum exeſio poſcunt applicationem antiſeptici No. 3. 4. gingivae tumidae ſcarificandae. Salivatio ſcorbutica clysmatibus, ſudoriferis ex bolo theriacali, camphora, floribus ſulphuris, gargarismate ex decocto corticis peruviano, addito parum aluminis; ſynapismis, veſicantibus a glandulis ſalivalibus revellenda. Caute tamen cum cantharidibus hic mercandum, ne gangraena inducatur.

§. 28. Adverſus tuſſim ſcorbuticam laudantur quoque veſicantia, fonticuli, diaeta lactea, aer campeſtris, oxymel ſcilliticum, gummi ammoniacum. Diarrhoea electuario diascordii, rhabarbaro,

baro, vinoque rubro frenanda. Decoctum corticis cum elexirio vitrioli Mynſichtii, ſyrupoque acetoſitatis citri, valet contra haemorrhagias. In febribus putridis, petechialibus nihil melius quam acida & antiſeptica dicta valent. Frictiones pannis laneis aromatum fumo imbutis bis de die contra pedum oedema laudantur, non neglectis interim diureticis. v. g. pillulis ſcilliticis ſecundum Pharmac. Danic. paratis. Maculae ſcorbuticae ſucco citri, aqua calcis cum Sp. vin. camphoral. mixta ſaepius de die lavandae, rigiditas membrorum vapore aceti emollienda.

Cap. IV.

DE ICTERO.

§. 29.

Morbus, quo cutis tota & oculorum tunica adnata flavo tingitur colore a bile ſanguini mixta, urina mingitur crocea, linteum vel chartam eodem tingens colore, in quo etiam ut plurimum excrementa alvina apparent alba, gryſeave, icterus, icteritia, aurigo, morbus regius, arquatus vel arcuatus dicitur.

§. 30. Varia ſortitur nomina hic affectus, vel a cutis colore, vel aliis de cauſis; ſic icterus, icteritia, nomina origine graeca ab avicula flavo colore Graecis nota, ictisque dicta veniunt. Aurigo

rigo ab aureo colore. Morbus regius a regali fere luxu, qui requiritur ad morbi curationem. Sic enim Celsus per omne anni tempus utendum eſt conclavi cultiori locove, ludis, laſcivia, aliisque, per quae mens exhilaratur, ob quae regius morbus dictus videtur. Vel uti Mackbreid, quia ad aegrorum nutum omnia conceduntur, ne contriſtentur enim, eorum votis facile annuimus. Morbus arcuatus demum ab iridis ſimilitudine arcusque coeleſtis ob varietatem coloris, aliquando enim cutis viridis, vel & in majori gradu nigra apparet, dum vero icterus niger audit. Ad lucem diei, non vero candelae ictericus apparet color.

§. 31. Non tantum cutis externa flava eſt in ictero, immo partes internae, viſceraque omnia, quin ipſa oſſa ſimilem inducunt colorem, ſanguis ipſe luteus eſt, ſaliva quoque, quae etiam amara fit. Urina uti dictum crocea, aliquando viridis, immo & atra. Obiter vero notandum, quod flavedo urinae augeatur ſaepe in hoc morbo ab uſu repetito rhabarbari.

§. 32. Caetera in ictero occurrentia ſymptomata ſunt anxietas, & pondus circa praecordia, appetitus deletus, ſitis aucta, alvus in quibusdam conſtipata, in quibusdam nimis ſoluta. Excrementa alvina non ſemper albeſcunt, praeſertim, ſi morbus non a denegato bilis tranſitu ad duodenum, ſed potius ex bilis exſuperantia. Arcuatus omnia flava apparere commentum eſt antiquorum, mihi nunquam obſervatum. Nul-

lum

lum ictericum de chloropia unquam queſtum vidit STOLLE, nulla adeſt febris ut plurimum. Raro ſudant icterici, tamen in morbi progreſſu de pruritu moleſto queruntur. Mens eſt inquieta, triſtitia, moroſitas adſunt. Reſpiratio difficilis fit ad motum.

§. 33. Cauſae ſunt internae hepatis inflammatio, ejusdemque ſcirrhi & indurationes; calculi cyſtici aliaque comprimentia & bilis egreſſum per ductum choledochum communem impedientia. Unde gravidis quoque haud inſolitus morbus, poſt partum ſponte evaneſcens. Neonatis etiam familiaris & tranſitorius ſtatim ac meconium expurgatum. Vermes qui irritando & ſtricturas ſpaſmodicas inducendo biliferis ductibus icterum creant, quod etiam fit ab animi motibus vehementioribus, ira ſc.; a morſu viperarum praeſertim ſerpentis, Crotalophori dicti, a colicis doloribus, hyſterica affectione podagra retropulſa, catharticis draſticis. Praeterea favent gignendo ictero, febres intermittentes diuturniores, victus craſſus, lautus, aromaticus, concomitante vita ſedentaria.

§. 34. Icterus niger fere ſemper ad mortem ducit, caeterum ab omni ictero refractario ſanguinis diſſolutiones, haemorrhagiae funeſtae, hydropesque oriri poſſunt, uti & acidi primarum viarum productio. Ad iliacas alvi obſtructiones pronos eſſe ictericos compertum habeo; haemorrhoides fluentes ſalutares ictericis.

§. 35.

§. 35. In diaeta vitent icterici farinacea, ova dura, fabas, piſa, piſces molliores, alimenta pinguia, caſeum, aromata: potus ſpirituoſorm, acida & auſtera nimis; condimenta, allium, ſinapi, raphanum. Conducunt vero decocta avenacea cum melle tepide atque affatim hauſta. Juſcula ex radicibus ſcorzonera, herbis urtica, cichoreo, lactuca, acetocella; fructus horrei bene maturi ſive crudi ſive cocti. Potus ordinarius ſit aqua cum pauco vini rhenani & ſucco citri.

§. 36. Cura admodum variat pro varietate cauſae; in genere autem oportet ſtimulare & evacuare bilem rhabarbari ope vel in ſubſtantia, vel in forma liquida, addita largiori doſi liquoris terrae foliatae tartari. Ubi bilis abundantia optime proritatur vomitus in ictero oxymellis ſquillitici ope, purgans etiam optimum hic oleum ricini ad unciam ſemiſſem pro doſi.

§. 37. Caeterum hepatitis methodo antiphlogiſtica tractanda. Hepatis indurationes, calculique cyſtici ſolvendi ſapone veneto, cicuta, mercurio dulci cum millepedibus, decocto graminis taraxaci, ſero lactis cum ſale polycreſto, tum frictione hypochondrii dextri pannis aſperis, tum & linimento mercuriali & emplaſtro de cicuta cum ammoniaco.

§. 38. Bilis defectus ſupplendus per extracta amara cum ſapone veneto & felle taurino inſpiſſato in pillulas redacta; opium valet in ſpaſmis. Podagra retrogreſſa ad pedes revocanda. Speci-

fica vero commendantur anticterica; curcuma, pareira brava, crocus, ova cruda in aqua ſoluta, teſte Whyt. Fruſtra vero adhibui, immo cum damno, anxia enim valde inde fiebat aegra. In ſubitaneo ictero forſan melius praeſtabunt. Periodicus icterus veſicantibus curatus habetur a Bang.

Cap. V.

DE HYDROPE IN GENERE.

§. 39.

Hydrops ictero inveterato frequentiſſime ſuccedens, quin icterus & hydrops ſaepe unitis viribus plures necans haud inepte hic locatur. Sic autem dicitur ſeri vel lymphae accumulatio in contextu celluloſo vel in quadam corporis cavitate. Eſt ergo univerſalis vel partialis. Hic eſt hydrocephalus, hydrothorax, ascites ſeu abdominalis, cui etiam jungitur Tympanites ſeu hydrops ſiccus, uteri hydrops & ovarii, hydrocele aut ſcroti. Ille anaſarca, leucophlegmatia, oedema ſeu phlegmatia.

§. 40. Humorum abundantia & ſtagnatio, vaſorum ruptio & ſeri extravaſatio, roris exhalantis reſorptio impedita hydropis cauſae proximae. Diſpoſitio autem debilitas, humoris attenuatio vel & inſpiſſatio. Remotiores vero cauſae ſunt labes here-

hereditaria; ſaepiſſime vidi hydropicos ab hydropicis natos. Gentilitia, victus ratio prava, pauperes, qui pane nigro veſcuntur & infantes, qui inſalubri aluntur victu, in hydropem proclives manent.

§. 41. Caeterum hydrops morbus eſt frequentiſſimus iis, qui copioſo utuntur frigido potu, tepidoque praeſertim, ſi corpus debile. Spirituoſorum fermentatorum liquidorum abuſus etiam hydropis ſaepe fit cauſa remotior. Tum ſtomachi vitia & ſolidorum relaxatio, ab aere humido impedita perſpiratio, febres ardentes, intermittentes refractariae, viſcerum obſtructiones, miaſma ſcabioſum, rheumaticum, venereum, lac repulſum, rigiditas & partium ſolidarum immobilitas. Sanguinis miſſionum abuſus, haemorrhagiae profuſae, leucorrhoea, ſudores nocturni, alvi fluxus diuturnus, purgantia fortiora, ſalivatio mercurialis.

§. 42. Praeterea compreſſiones, ligaturae arctiores, veſtimenta anguſtiora circulum inhibent & fundamenta jaciunt hydropi; etiam vita ſedentaria, inde in genere foeminis prae viris infeſtus hydrops, praecipue vetulis & obeſioribus, ſenibus. Studioſis, ſartoribus, ſutoribusque, opus aquaticum exercentibus, lotricibus puto, piſcatoribusque.

§. 43. Incipit cum pedum tumore circa veſperam aucto, ſenſimque increſcente, totum corpus vel peculiariter abdomen occupante, inde

aquae fluctuatio inſequitur in ascite, tympani ſtrepitus in tympanitide. Demum ſitis implacabilis, alvus adſtricta, urina pauca & rubra, febricula lenta ſub finem morbi ſaltem, cum ſudoris defectu, fereque ſemper adeſt tuſſis, corporis emaciatio, ulcera gangraenoſa extremorum, viscerum corruptio, mors.

§. 44. Hydrops non inveteratus in corpore juvenili, ſubito quaſi exortus, curari haud raro poteſt, non ita inveteratus, lenteve obortus in corpore ſenili, aut ubi viſcera corrupta. Pro varietate autem humoris ſtagnantis ſive aquoſi, ſive lymphatici, felicius aut infelicius ſuccedere curam commonſtravit Kloekhof. Serum evaporabile facilius, lympha coagulabilis difficilius expugnatur. Lymphae enim accumulatio praeſertim fit vaſorum ruptura, inde medicamenta interna inutilia; ſcarificationes externae noxiae in anaſarca ab hac cauſa.

§. 45. In genere autem hydrops curandus attenuantibus, aperitivis, diureticis, ſudoriferis, tonicis, purgantibus, emeticis, mercurialibus, ſalivatione, antimoniatis; aere ſicco & inſolatione, balneis ſiccis & ſpirituoſis, diaeta ſicca & abſtinentia a potu; iterumque potu copioſo, antiſcorbuticis, inunctionibus & frictionibus oleoſis, vaporibus, venae ſectione, ſcarificatione, paracentheſi, veſicantibus, inſitione ſcabiei, de quibus fuſius ſeorſim.

§. 46.

§. 46. Nihil certe majus dat hydropicis levamen quam larga urinarum profuſio, neque inde ſequitur virium nimia dejectio. Vidi aſcite ſolutum urinarum fluxu ſponte oborto, aegro per duos annos dein ſano exiſtente, dum ab omnibus pro deplorato tantum non haberetur. Remedia autem diuretica ſunt ſcillitica, cineres geniſtae, baccae juniperi, oxymell colchicum a STORK laudatum, cum ſucceſſu aliquando exhibui. Tum millepedes, uſus cantharidum internus hic a quibusdam commendatur; fruſtra exhibitas in aſcite fuiſſe a Medico veterano novi. Solutionem aeris ſeu cupri in alcali volatili commendat BOERHAVIUS, tanquam potentiſſimum diureticum, aitque fallax ſaepe fuiſſe remedium, immo & anceps & periculoſum dici poteſt. Bonus effectus a diureticis bonum dant omen, & arguunt humorem ſtagnantem ſeroſum & non lymphaticum eſſe. Diuretica in aere libero potius juvant.

§. 47. Sudorifera ſive interne exhibita, ſive externe applicata ſc. calore ſolis, balnei vaporis hypocauſti, fimeti, potius in anaſarca quam in ascite conveniunt; refert tamen VAN SWIETEN ſe abdomini hominis, qui ascite laborabat, lateres calefactos applicari continuo curaſſe nec ſine ſucceſſu, ſed addit, abdomen modice tantum tumebat. Aliter vero credo ſudorem in ascite plus nocere quam prodeſſe.

§. 48. Inter tonica praecipue excellunt pillulae Becherianae No. 5. quae roborando humoris

 ris

ris ſtagnantis evacuationem promovent. Praecipueque conducunt, ubi primaria cauſa debilitas & fibrarum atonia. Eidem ſcopo inſervire poſſunt extracta amara cum marte, laxantibus ſaepius interpoſitis: de remediis autem roborantibus poſt aquarum evacuationem dein agetur.

§. 49. Purgantia & emetica quidem brevioribus intervallis repetita conducunt interdum in hydrope, qui non a viſceribus corruptis aut ab extravaſatione, vel a polypo ſcirrhove interno. Hydragoga ſic dicta remedia ano & cato operantia ſunt, gummi gutta cum ſaccharo, radix jalappa, diagridium ſulphuratum, cortex medianus ſambuci, bolus ex elaterio No. 6. proficuum vidi in hydrothorace ad grana X. exhibitum. Radix ipecacuanhae, tartarus ſtibiatus.

§. 50. Salivationem mercurialem leviorem laudat Lind in curando hydrope, aſſeritque ſe plus quam 40 tali methodo curaſſe anno 1765, qui morbum poſt quartanas refractarias contraxere. Immo ſalivationis ope, tabaci fumo excitatae curatus fertur. Caute tamen cum mercurio agi vellem, ubi putredo humorum & ſcorbutica diatheſis; ejus uſum haud inutilem immo proficuum fore, ubi lymphae viſciditas haud immerito creditur.

§. 51. Diaeta ſicca & abſtinentia a potu, magnam patientiam requiri in curando hydrope, indeque felicius in ſervis quam in liberis tolli, ait Cel-

Celsus, quia cum deſideret famem & ſitim promptius ſuccurritur iis, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas. Potum copioſum quidem ſitim aegrotantium excedentem vult Backer concedere hydropicis. Non equidem ſentio in omni hydrope ſollicite ab omni potu abſtinendum eſſe, ſed eo praecipue utendum, qui pollet vi diuretica, nec ultra danda potio, quam ut vitam ſuſtineat, quove plus urinae excernitur quam potus ingeritur ſecundae valetudinis ſpes eſt. Noxia quoque erit potus abſtinentia in nimia lymphae visciditate & ſolidorum rigiditate. Sitim autem fallent hydropici ſucco citri, vel fructibus horreis potius quam potu nimio. Exempla quidem proſtant de hydrope curato, omnimoda potus abſtinentia. Milman quoque potum hydropicis indulget.

§. 52. Punctura, ſcarificationes breve, ſed fallax afferunt ſolamen. Paracentheſis, ubi glandularum meſeraicarum induratio, parum juvat. Fascia vel thorace a Monro adaptata corpus ſtringendum a paracentheſi. Ut plurimum vero remedium eſt palliativum tantum. Linimentum volatile vel oleum ſimplex pro frictione commendatur in ascite. De hydrope a plethora & ſanguinis miſſione curato vide quae de oedemate dicta. Hydrops recens a ſcabie perperam ſanata natus, remediis antimoniatis, ſulphuratis, induſio a ſcabioſo induto, immo ſcabiei ipſius inſitione curandus. Materia repulſa enim requirit promptam

 ſui

ſui evocationem ideo & hinc veſicantia ſummopere neceſſaria.

§. 53. Diaeta prophylactica & curativa in hydropicis, panis biscoctus, carnes aſſae, ova, legumina haud flatulenta, radix dauci ſativi, ſcorſonerae; aſparagus, apium, cynarae capita, piſces non molliores frixi, fructus cocti. Vitentur vero pinguia, fabae, piſa, ſicca duriora, acetaria, opere piſtorio quaecunque facta. Non pro more, ſed pro ſiti fallenda bibendum vinum leve vel aquae mixtum, acidulae martiales.

Cap. VI.

DE ANASARCA ET LEUCOPHLEGMATIA.

§. 54.

Lymphae ſtagnans in habitu cellulari ſubcutaneo dicitur Anaſarca, Leucophlegmatia, aqua intereus, hypoſarca vel & hydrops univerſalis. Cognoſcitur ex tumore totius corporis, albo molli, laxo frigido indolente, oedematoſo praecipue in pedibus, cruribus ac manibus conſpicuo, ſiti, urinis tenuibus, paucis. Tumor tactui cedit & fovea a compreſſione ſeu impreſſione digiti relinquitur. Sudor aut mador in cute nullus.

§. 55.

§. 55. Cauſae hepatis & ſplenis infarctus, metaſtaſis a quocunque fluxu ſuppreſſo, evacuatio nimia qualiscunque ſanguinis praeſertim ſive naturalis ſive artificialis, alvi fluxus diuturnus, purgationes draſticae, ſcarlatina, morbilli aliaque exanthemata, febresque ardentes praegreſſae, uti etiam febres intermittentes male curatae, ſcorbutus, pus reſorptum & in celluloſam depoſitum ſubſtantiam, diaeta aquoſa, aquae cenoſae potus, potio gelida corpore aeſtuante, acidularum praepoſtere uſus, liquorum ſpirituoſorum abuſus; Aſthmati fere ſemper ſupervenit. Nonnunquam epidemica in aere nebuloſo humido viſa.

§. 56. Artus inferiores tandem obſidens dicitur Phlegmatia, Oedema; quae tamen ſenſim altiores partes occupans fit anaſarca. Saepiſſime obſervatur in ascite incipiente ſeu abdominis hydrope, hydrothorace, empyemate, chloroſi & phthiſi tantum non deplorata. Reconvalescentibus frequens indeque vulgo bene ominatur, credens morbum ad inferiora depoſitum. Hyſtericis quoque familiaris & prae caeteris in mulieribus occurrit poſt menſium emanſionem, ob vitam magis ſedentariam, debilemque ſolidorum compagem. Atqui non ſemper in hisce veſtigium ſervat digiti impreſſi, neque augetur circa veſperam, quo maxime ab anaſarca & hydrope intercute diſtinguitur. Caeterum fit in gravidis, non nunquam in puerperis a lactis retropreſſione vel etiam nutricibus alumnum ablactantibus.

Concomitatur ſemper cum affectibus eryſipelatoſis. Partes vinculo conſtrictae oedematoſae evadunt.

§. 57. Cura Anaſarcae tentanda purgantibus ſaepius repetitis, vel potius diureticis No. 7. 8. 9. & ſudoriferis, decoctis lignorum vel pulvere No. 10. & calore hypocauſti, ſolis, arenae. Urina enim copioſior, ſudoris eruptio cum tumoris detumescentia optima ſigna in hoc morbo. De HERACLITO fertur, quod hydropicus factus circa 60 aetatis annum ſe in fimeto ſoli expoſuerit, ut calore aquoſus diſſiparetur latex.

§. 58. Externe commendant folia viridia bardanae plantis pedum & juncturis applicata. Mirum enim eſt, quantam fuliginem extrahant cum aegrorum levamine ETMULLER. Veſicantia in anaſarca copiam humorum diminuere valent, uti vult PERCIVAL, quod pars antea ſyndone tenui tegatur, ne gangraenae anſa detur. TOZETI eadem laudat in anaſarca & quidem diureticis vegetabilibus & ſalinis reſiſtente, aſſeritque inde nunquam ſe vidiſſe Gangraenam ſecutam; „non mi epero mai ſeguito che eſſe piaghe ſi ſieno gangrenate como temono multi autrevoli ſcriltori Medici, „quod tamen fieri conſuevit (pergit) in hydropicis asciticis confirmatis ob pravam indolem corruptionemque humoris diu ſtagnantis. Ejusdem cum TOZETI ſum ſententiae, cautio tamen a PERCIVAL tradita minime ſpernenda. Eadem dicta ſunto de ſcarificationibus, quae aliquando fiunt in cruribus, ubi tenſio cutis dolo-

rifica valde, quae non debent eſſe admodum profundae neque in corpore cacochymico nimis ob gangraenae metum. Tutiusque inſtituuntur in anaſarca, ubi aquoſus ſtagnat humor, quam in Leucophlegmatia aut oedemate, ubi mucoſa colligitur lympha. Cortex peruvianus vero hic non omittendus tam interne quam externe, additis nitro & cremore tartari, quo gangraena praeveniatur & vulnerum curatio acceleretur.

§. 59. Recidiva praecavenda veſtimentis ſolito arctioribus, faſciis circularibus ad pedes & crura injectis. Balneis frigidis, tibialibus ex canina pelle fabrefactis loroque adſtrictis ſanavit pedum oedema ad omnia rebelle, & a mera debilitate ortum ALLIX. Venae ſectio in oedemate, ubi plethora adeſt, haud inutilis. Hydrops intercus plethoricus ſeu a plethora oriundus a STOLLE deſcriptus, ſemel a me obſervatus fuit in gravida cum ſumma difficultate reſpirandi, tuſſi violenta & hydrothoracem quaſi prae ſe ferens, longo uſu cremoris tartari, interpoſitis ſubinde quibusdam praebiis corticis peruviani & repetitis modicis ſanguinis miſſionibus feliciter ſanavi, filiam dein enixa pulcherrimam hodie jam quintum annum ingreſſam in parentum deliciis.

§. 60. Caeterum oedema a lacte repulſo curat LEVRET purgantibus ſalinis, venae ſectione & emplaſtro de mica panis. In oedemate eryſypelatoſo valent purgantia, fomenta ex herbis aromaticis ſiccis ſpiritu vini camphorato irrorata.

Lau-

Laudatur etiam ſal ammoniacum cum alcali fixo topice applicatum in tumore ſimpliciter oedematoſo.

§. 61. In diaeta victu ſicco, pane biscocto, carne aſſa, piſcibus ſimilibus utendum; parum bibendum, corpus probe tegendum veſtimentis laneis, quibus perſpiratio promovenda inſenſibilis, qua nihil deſiderabilius in hoc morbo. Exercitium quotidianum non omittendum, ejusque defectus ſuppletur frictione ſicca quotidiana cum pannis laneis.

CAP. VII.

DE ASCITE ET TYMPANITE.

§. 62.

Ascites eſt nimia humoris aquoſi in cavo abdominis aggeſtio, unde venter intumeſcit aequaliter & aquae fluctuatio, ſi digitis percutitur abdomen, contra manum oppoſito lateri applicatum percipitur. Quod ſignum in morbo proveçtiori ſaepe fallax, dum venter nimia aquarum mole diſtentus talem fluctuationem haud permittit percipere. Quin & aliquando fluctuationem adeſſe poſſe absque ulla aquarum collectione, in ventre poſt mortem inventa faſſus eſt ſuo candore re DUVERNEY ſeque ſic deceptum fuiſſe aliquoties in ascitis diagnoſi.

§. 63.

§. 63. Praeterea debilis eſt aeger atque languidus, anhelans ad motum, ſitis adeſt perpetua.

Quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda
Quo plus ſunt potae plus ſitiuntur aquae.

Urina pauca craſſa rubicunda, pulſus parvus frequens, corporis extenuatio, emaciatio, magis conſpicua hic quam in caeteris hydropis ſpeciebus, facies hypocratica, febricula lenta, demum & in ore, faucibus & toto interdum canali alimentario aphthae admodum urentes, & profundius haud raro ulceroſae generantur.

§. 64. Praeter cauſas generales hydropis, praecipue ſequitur ascites menſium ſuppreſſionem, colicam pictonum, febres intermittentes, protractiores, uſum arſenici ab empyricis ſaepe exhibiti ad talem profligandam febrem, aliorumve venenorum, adſtringentium, aſthma convulſivum, urinae retentionem. Talis vero urinoſus hydrops celerrime perimit.

§. 65. Aliquando colligitur non in cavum abdominis, ſed inter muſculos & peritoneum, hydropsque peritonei dicitur perperam autem credebatur olim morbi ſedem eſſe peritonei duplicaturam, ex hodierna enim anatomia conſtat, ſimplicem tantum membranam eſſe. Hoc tamen nihil intereſt ad morbi curationem.

§. 66. Hydrops peritonei lente incedit, venter non aequaliter tumidus, ſed tumor circum-

ſcriptus

ſcriptus in anteriori ventris parte apparens potius, neque figuram aut formam mutans in diverſo corporis ſitu, uti in ascite contingit pro vario aegri decubitu.

§. 67. Alia ſpecies hydropis abdominalis datur maxime diſtinguenda a caeteris, fallaciae ſymptomatum ergo, & methodus medendi diverſae ratione, ſc. hydrops ſaccatus dictus; dum aqua in folliculis ſeu veſiculis, quas hydatides vocant, continetur. ROUX detexit in hepate poſt mortem; AELIX curavit inciſionis ope; neque fluctuationem neque reſonantiam praebet, quo ergo ab aſcite & tympanite diſtinguitur. Cauſa praecipua obſtructio & induratio glandularum meſeraicarum.

§. 68. Signa tradunt quidam ſequentia; dolor ſcilicet percipitur obtuſus morbo incipiente, abdomen lentus tardiusve increſcit quam in ascite, tumor magis foras prominet, eſtque magis regularis tenſusque aequabiliter, umbilicus prominulus potius quam in ascite, reſpiratio non adeo difficilis, appetitus non admodum deletus, ſitis minor, color faciei haud valde mutatus, urina potus quantitati magis reſpondens. Oedema pedum non niſi in provectiori morbo, quod contrarium in ascite. Foeminae concipere valent hydrope cyſtico laborantes, menſes ſatis copioſe fluunt. Remedia in ascite juvantia, hic fere inutilia.

§. 69.

§. 69. Demum eſt Tympanites ab Hippocrate hydrops ſiccus, aëris eſt collectio in inteſtinis & ventriculo potiſſimum, ſecundum Haen. Secundum alios vero etiam in cavo abdominis. Venter percuſſus loco fluctuantis aquae tympani bellici ſonum edit, nunquam abdomen in tantam molem diſtenditur ac in aſcite. Abdomen lateraliter magis compreſſum, anterius magis prominet, frequenter murmura & borborygmi adſunt.

§. 70. Cauſa proxima: paralyſis nervorum meſentericorum indeque atonia inſuperabilis inteſtinorum. Materiam praecipue agnoſcit flatus, quibus inteſtina ſummopere diſtenduntur, roris abdominis non reſorpti corruptionem, inteſtinorum tunicarum perforationem, eorum ſpasmum. Tympaniticos vidi aliquot Tyro Medicus, dum adhuc patrios incolabam lares, atqui Hafniae rarus valde eſt morbus.

§. 71. Quaedam dantur ſigna, quibus tympanites inteſtinalis ab abdominali, quae aliquando fit diſtinguenda ſc. dolor colicus borborygmi, tormina, ructuum exploſio ano & cato cum levamine, tumoris ad interim diminutione, alvus obſtinaciter clauſa, neque clyſteribus, neque purgantibus obediens, inteſtinalem arguunt tympanitem. E contra dolores potius externi quam interni, borborygmorum abſentia, uti & ructuum aut flatuum exploſionis, venter non admodum ſtrictus, ſonus tympaniticus acutior abdominalem. Tympanites aliquando ſine, ſaepius cum aſcite venit, ſaepiſſime in aſcitem degenerare ſolet.

§. 72.

§. 72. Tympanitis cura tentanda purgantibus ſaepe repetitis, interpoſitis ſubinde camphora, aſſa foetida, opio, cortice peruviano, diaeta reſtaurante. Externe valent frictiones abdominis oleo volatili, aquae gelidae, nivisve applicatio.

§. 73. Ascites curatur, dum aqua in abdomine contenta evacuatur, accumulatio nova praepediatur, in corpore non admodum debili visceribus haud corruptis ſaepe ſolius corticis peruviani cum marte uſu feliciter curatur. In morbo adultiori jam, ex diureticis magis expectandum. Emetica & purgantia fortiora in initio tantum conducunt. Sudorifera in ascite plus nocent quam proſunt. Aquis evacuatis infuſum corticis cum aromaticis commendandum roborandi cauſa.

§. 74. Remedio quidem tuto modo ſatis cito adhiberetur nempe paracentheſi ſeu punctura abdominis, omnis ſimul & ſemel educitur aqua. Atqui in hydrope, qui univerſum non tendit abdomen facturus erecto inſtituat corpore aegri, ut ſic a gravitante aquarum mole in epigaſtrio locus quam maxime tendatur, qui pertundendus eſt. Hac, remediorum certe juvatur actio, ſed debilitas inde ſaepe augetur. Aer in vacuo abdomine rarefit, humorum putridorum evolutio, gangraenae occaſio & ſubinde nova accumulatio citius formatur ſeroſi laticis, dum nimis tarde ut plurimum adhibetur. Mead exemplum affert foeminae paracentheſin paſſae 66. vicibus ſpatio 67 men-

menſium. Vidi & ego foeminam, quae paracentheſim vigeſies octies intra decem menſium ſpatium repetitam virili ſuſtinuit animo.

§. 75. Paracentheſis nocet emaciatis valde, ſenibus, hydrope diu detentis. De operatione uti & aliis auxiliis chirurgicis in hydrope ſaccato dilatando, excindendo hydatides pluribus egerunt van Swieten, de Haen. Poſt evacuationem venter faſciis circumducendus & ſpasmus opiatis & cardiacis ſedandus. Ab inunctione oleoſa vidi in ascite copioſiorem urinarum inſequi fluxum. Atqui etiam juvat, quia minus aptam reddit cutim reſorptioni humidi ex aëre. Ex tali enim reſorptione per bibula, humoris nova facilis aggeſtio aut regeneratio in hydropicis.

Cap. VIII.

DE HYDROPE UTERI ET OVARII.

§. 76.

Colligitur ſaepe aqua tanta copia vel in ipſo uteri cavo, vel etiam in ovariis & tubis Fallopianis, ut vel ascitem vel graviditatem mentiatur. Morbus eſt frequens foeminis, vetulis tantum non effoetis, quae ob menſium emanſionem facile ſe gravidas putant. Quin & ipſi Medici in initio ſaltem ſaepius hallucinantur in morbi

C diagno-

diagnoſi, praeſertim ſi ascite & anaſarca non concomitatur.

§. 77. Uteri hydrops interdum jungitur graviditati ipſi, ſuſpicatur vero ex mole abdominis enormi, delapſu a latere in latus ponderis inſignis in vulvam: debili aut nullo fere foetus motu, pedum tumore oedematoſo majori, demum & fluctuatione. Hic nihil ante partum tentandum, quo accedente, oreque uteri laxato ſponte effluit humor. Vidi tamen mulierem inde ſeptimo a partu die mortuam pauco latice tantum effluxo. Caeterum vapore, balneo tepido os uteri laxandum.

§. 78. Ovariorum hydropis ſigna ſunt color faciei naturalis, criteria cachexiae abſentia, functionum laeſio non valde ſenſibilis, ſitis modica, tuſſis nulla, alvus libera, urina non valde imminuta, nullus pedum tumor, abdominis moles prae caeteris aucta, cujus tumor circumſcriptus praeſertim lateraliter abdominis partem inferiorem obſidet, quique neque purgantibus neque diureticis cedit. Ut plurimum afficit ſteriles annoſasque; raro curatur, ſaepius tranſit in ascitem, ruptis membranis coercentibus. Per puncturam vero vitam ad plures annos protrahere poſſumus.

Cap.

Cap. IX.

DE HYDROCELE.

§. 79.

Si hydrops ovarii & uteri ſequiori ſexui peculiaris eſt, nobiliori proprius erit hydrops, qui fit in ſcroto & in teſtium involucris, quique uno nomine vocatur Hydrocele ſeu hernia aquoſa. Collectio aquarum in cavo ſcroti ex ſignis anaſarcae cognoſcitur; ſc. ex veſtigio remanente digiti impreſſi, ex partis pelluciditate. Saccus peritonei ut plurimum humore aquoſo repletur in asciticis, praeſertim qui antea hernioſi fuere. Scroti tumor evaneſcit per preſſionem, decubitum ſupinum. Figura tumoris farciminalis eſt, aliquando increscit, aliquando iterum decrescit. Frequentiſſima hydrocelis ſpecies eſt, quae fit in tunica vaginali, & tumorem maximi voluminis format, figura rotundum, pellucidum praeſertim candelae luscenti expoſitum. Hydrocelae familiares ſunt Narbonenſibus ex uſu nucum caſtanearum immodico, uti credidit Hoffmannus; inde enim lympham & ſanguinem craſſum fieri perhibet.

§. 80. In prima hydroceles ſpecie valent, quae in anasarca, cujus ſoboles eſt, laudata habentur. Praeter discutientia topica, quae forma vaporis ſcroto applicari poſſunt. In ſecunda praeter ge-

neralia, enchyreiſis uſualis requiritur chirurgica ſc. herniotomia & perizomatis applicatio. In tertia ſpecie commendantur hydragoga validiora, diſcutientia topica ex ſale marino decrepitato ſicciſſimo, quod aquam potenter in ſe trahit, expertus laudo. Suffumigia aromatica hic quoque locum habent. Ligamentum ſuſpenſorium hic non parum juvat. Punctura ſcroti palliativa tantum eſt cura, recrudeſcit enim morbus ſatis cito, ut paracentheſi ſaepius opus ſit. Cura radicalis conſiſtit in exſtirpatione, quae fit cauſticorum vel ſcalpelli ope, de utroque chirurgi conſulendi.

Cap. X.

DE HYDROTHORACE.

§. 81.

Ob ſigna communia empyematis & hydrothoracis difficilius ab invicem diſtinguuntur hi morbi, niſi ad praegreſſa attendamus, ſc. num inflammatio pectoris aut diſpoſitio hydropica praeceſſerit. Eſt autem hydrothorax collectio aquoſa in cavitate pectoris, pericardii, ſubſtantiave pulmonis celluloſa. Si aqua retinetur in parte anteriori asperae arteriae, tumorem ſiſtit conſpicuum Bronchocelen dictum.

§. 82.

§. 82. Praecedunt autem hydropem pectoris, praeter generalia, ponderum ſupra vires elevatio, potus gelidus corpore aeſtuante & corporis quies diu in aere frigido, fereque ſemper ſupervenit asciti, tuſſive inveteratae, aſthmati, antiquo praecipue convulſivo, hydatidibus disruptis, hydrocelae discuſſae, cordis vaſorum majorum morbis.

§. 83. In pectoris hydrope pulſus eſt durus, inaequalis, tractuque temporis parvus, intermittens; ſitis, reſpiratio difficilis: a primo ſomno excitatio & ſuffocans anxietas. Decubitus commodior in unum tantum latus, hydropem ejusdem lateris innuit, ſitus non niſi erecto capite tolerabilis, cordis palpitatio, tuſſis violenta, dolor circa ſternum, pondus diaphragmati incumbens, oedema crurum, ſcroti intumescentia, quin & paralyſis cum tumore lymphatico alterius vel utriusque manus. Demum cor ſibi natare videri in aquam aſſerit aeger. Alvus eſt ſegnis, urinae parca excretio.

§. 84. Hydrops pectoris difficilis cognitu, difficilius curatu, aliquando ſubito perimit. Praeter generalia hydragoga & diuretica commendantur mercurialia, radix ſenegae; demum & paracentheſis ab Hippocrate jam laudata, qua partitis vicibus educi volebat aquas. Hodie prorſus negligitur haec operatio, quod dolendum equidem. Si non curative enim, palliative ſaltem inſtitui poſſet, ut ſuffocatio praeveniatur certa. In Bronchonocele frictiones tentari poſſunt ſp. vini

camphorato dilutiori. Brioniae radicis decoctum addito vino & ſale ammoniaco, vel ſola haec radix in pultem contuſa topice applicata ſaepius profuit, van Swieten punctura vero hic certo utilis.

Cap. XI.

DE HYDROCEPHALO.

§. 85.

Seroſus latex inter capitis integumenta, vel in ipſa calvaria, cerebri ſubſtantia ejusque ventriculis collectus hydrocephalon ſiſtit, ergo externus atque internus eſt; hic illo periculoſior affectus. Eſtque etiam connatus vel acquiſitus, raro tamen in adultis, ſaepius in junioribus occurrit.

§. 86. Connatus partum reddit difficilem, immo & impoſſibilem aliquando ob capitis molem nimis auctam, praeſertim ſi hydrocephalus internus, externus enim vel arte, via aquis parata, vel & ſponte partus nixibus, membranis aquam continentibus ruptis facilius cedit interdum. Aquarum colluvies intra cranium, oſſa recedere facit a ſe mutuo, membranaceas partes diſtendit & capitis moles maxime augetur.

§. 87.

§. 87. Contuſio, rudior obſtetricis manus, caſus, vulnusque ſaepe cauſa hydrocephali, praeſertim externi. Dantur ſceleſti homines, qui foramen parvum incidunt in cute verticis, flatuque inflant capitis integumenta & artificioſum procurant hydrocephalon ſeu emphyſema in propriam prolem, ut inde quaeſtum faciant.

§. 88. In genere, cauſae hydrocephali acquiſiti ſunt nimia quies, rachitica diſpoſitio, labes venerea, capitis preſſio, compreſſio venarum jugularium, frigus, humiditas ad caput admota, ſanguis aquoſus, glandularum obſtructio, alimenta aquea, vapida.

§. 89. Signa, alvus tarda, urina pauca, viscida, alba, ſomnolentia, pigrities, quae communia in omni hydrocephalo. Propria ſunt in hydrocephalo externo tumoris pelluciditas, mollities ad tactum oedematoſa, frontis & palpebrarum tumor, indolentia, color cutis pallidus; in interno incrementum capitis fit indies, futurarum diſtantia, tumor externus durior non pellucidus, oculi cavi, arteriarum in collo & in temporibus pulſatio vehemens, lacrymarum ſtillicidium, ſtupor, viſus obſcuratio, nec non coecitas ipſa, qualem vidi in adulto a tali cauſa ſubito ortam, nullo vitio in oculis comparente praeter pupillae dilatationem & immobilitatem ad lucis acceſſum. Emeticis, diureticis, epiſpaſtico ad nucham appoſito viſum recuperavit.

§. 90. Adſunt praeterea languor ad omnes functiones, pulſus eſt debilis, tardus niſi hectica accedente, atrophia, dentium ſtridor, convulſiones, narium contrectatio, inquietudines & jactationes corporis, decubitus in latere, quo aquae accumulatae, in latere ſano convulſiones excitat. Connatus neonatos convulſionibus brevi necat, praecedit in adultioribus vomitus, lucis fuga, cephalalgia, mens quidem ſatis conſtat, tarde vero & male loquuntur, procedente autem morbo fiunt hebetiores ingenio, tenebricoſa oritur ſaepius vertigo. Deſcendit ſaepe aquam in ſpinalis medullae cavitatem & vera fit ſpina bifida.

§. 91. In hydrocephalo externo valent ſcarificationes, inuſtiones, veſicantia capiti raſo applicata, nec non cucuphae ex mentha, roſemarino, lavandula, ſale ammoniaco capiti appoſitae; haud omiſſis purgantibus. Internus difficilior eſt curatu. Punctura enim hic a quibusdam commendata ſemper funeſta fuit intra paucas horas authoribus referentibus. Spina bifida concomitante, etiam ſi ſponte rumpitur tumor vel imprudenti conſilio pertunditur mors inſequitur. Suo ergo fato relinquendi hydrocephalo interno laborantes.

Cap.

Cap. XII.
DE RHACHITIDE.

§. 92.

Rhachitis dicitur nutritio oſſium depravata, inaequalis cum carnium flacciditate ac marcore totius corporis, capite magno, fronte prominulo, ſterni protuberantia & articulorum deformitate. Nomen originem habet a Rhachi, ſpina dorſi, quia non nunquam ſpina in hoc morbo prodigioſe laeditur.

§. 93. Cauſae diſponentes, diſpoſitio hereditaria, generatio a parentibus venere, morbis, aetate jam exhauſtis, labe venerea, ſcorbutica infectis, matre leucorrhoea laborante, vita parentum mollis, ſedentaria & ſecura, item victu pravo utentium, penuria inopiaque conflictatorum, domicilia humida inhabitantium. Nutrix bibax valetudinaria, cacochymica; ablactatio praematura, alimenta dulcia, acidave nimis, diaeta humida farinoſa, tineae ſcabieive repercuſſio unguentorum ope, balneorum tepidorum uſus, ſeſſio continua in ſella perforata, neglecta linteorum mundatio & humidorum exſiccatio.

§. 94. Ut plurimum adoritur morbus ſpatio intermedio duorum annorum a nativitate; mor-

bus eſt plus minusve chronicus ad quintum annum immo & ultra ſe extendens. Quo tardius erumpit, eo longius durat. Qui poſt ſecundum a nativitate annum invadit, difficile curatur, immo aliquando incurabilis manet & per totum vitae curſum veſtigia ſui relinquit peſſima. Corporis ſc. deformitatem, oſſium & ſpinae dorſi morbos, nec ante decimum annum, immo & tardius adhuc non animadvertitur ſpinae curvatura circa hoc vel illud latus, praeſertim in puellis, quod a thoracum uſu, a mala poſitura, qua ſaepius infantes abutuntur, quidam deducunt, miasma autem rhachiticum in cauſa eſſe non abs re puto, praeſertim cum lordoſis ut plurimum debiliorum tantum ſit affectus.

§. 95. Praeter ſymptomata recenſita in definitione alia adhuc obſervantur in Rhachiticis & quidem varia pro varietate gradus, rationeque temporis, quo invadit. Inceſſus fit tardus: lapſus facilis, vacillatio & titubatio frequens morbi adventum declarant in his, qui nondum ambulare coeperunt. In adultioribus, pigrities fit & cita defatigatio, adeſtque perpetuum ſedendi deſiderium, novi qui prorſus iterum ambulare dediſcere. Os ſaliva ſemper abundat, dentes ſunt carioſi nigri, fruſtulatimque excidunt. Non oblectantur crepundiis nec ludicra curant; ſeveriori enim magisque compoſito gaudent animo, ingenioque prae aetate praecociori. Abdominis intumeſcentia cum venis jugularibus valde conſpi-

cuis;

cuis; demum febricula lente fere pereunt. Cadavera, quae vix rigeſcunt, viſcera, hepar, cerebrum exhibent magna.

§. 96. Miaſma venereum principium eſſe Rhachitidis, ut quidam perhibent, non videtur. Lues venerea enim ſeculo antiquior rhachitide. Innotuit enim haec in Anglia circa annum 1630, illa Europaeis allata 1493. Immo infantes hac labe infecti neque citius, neque pejus rhachitide afficiuntur. Quin & infantes a parentibus venereis geniti immunes ſaepe a rhachitide, e contra rhachiticos novi liberos a parentibus haud venereis. Praeterea lues venerea eſt connata ſaepius, rhachitis ſemper acquiſita. Cura, quae venereis prodeſt, rhachiticis certe haud congrua.

§. 97. Cura Rhachitidis conſiſtit in diaeta ſicca, eupepta, ex pane biſcocto, juribus carnium, potu vinoſo, cereviſia probe cocta, inde forte rhachitis minus ſolemnis Anglis hodie quam olim, ob potum Ale uſualem ibidem locorum. Aere ſicco, veſtimentis ex lana confectis, ſtragulis durioribus, frictione per aromata, pannosque laneos circa partes oſſium excavatae, ſpinam dorſi & abdomen, corporis exercitio, motu oscillatorio ſuper funem; balneo frigido ſaepius curavi infantes majores & omni motu progreſſivo privatos. Veſicantia haud raro juvant. Medicamenta chalybeata, cortex peruvianus, rheum, radix ipecacuanha, ens veneris ad pauca grana bis de die. Cicuta a Storkio. Oſtracodermata ab Haenio.

nio. Radix rubiae tinctorum a Levret. Salia vegetabilia hic optima. In machinis ad oſſa incurvata applicandis maxima certe requiritur prudentia. Conſulendique de hisce praecipue Andry in orthopaedia, le Vacher de la Feutrie in tractatu du rhakitis ou l' art de redreſſer les enfans contrefaits.

Cap. XIII.

DE SCROPHULIS ET STRUMIS.

§. 98.

Qui rhachiticam habent diſpoſitionem inter infantes, prae caeteris Scrophulis ſeu Strumis, vel glandularum colli, meſenteriique duritie ſcirrhoſa fere afficiuntur. Subinde dolent ad tactum ſcilicet, adultis raro eſt morbus, niſi ubi endemius fere, uti apud Tyrolenſes, qui plerumque glandulam Thyroideam habent induratam, ſpeciem bronchonoceles prae ſe ferentem. Caeterum varias corporis partes occupat in contextu celluloſo, immo ipſaque oſſa. In quam plurimis infantibus praecurſores ſunt aurium manantium & achorum, quibus advenientibus ſponte ſolvuntur.

§. 99. Cauſa proxima videtur conſiſtere in lympha viſcida, acidave. Remotae vero quaerendae in vermibus, tineae repulſione, otorrhoea ſup-

ſuppreſſa, diaeta viſcida, craſſa, acida nimis, eſculentis durioribus, caſeo vetere, vinis auſteris, aqua particulis durioribus limoſis impraegnata, viru venereo, frigido humidoque aere; materia perſpirabili impedito.

§. 100. Taediosus eſt affectus diu patientiam & medentis & aegrotantis exercens. Aliquando ſponte diſcutiuntur; ſubinde athrophiam, tabem & mortem poſt ſe trahunt, praecipue ſi glandulae meſeraicae infarctae valde ſcirrhoſaeve, ſubinde exulcerantur & ulcera calloſa difficile curatu inducunt. Ideo & Medici eſt quantocius auxilia praebere tam in- quam externe.

§. 101. Interne commendatur uſus aquae marinae, emetica leniora, cathartica mercurialia, pulvis viperarum, antimoniata, ſulphur auratum antimonii, pulvis alterans, aethiops minerale, oleum tartari per deliquium in aqua fontana a Levret. Millepedes, cicuta, aqua calcis, ſpongia ad nigredinem uſta, inde remedium No. 11. quale laudat Mead. Aquae ſulphureae, decoctum rubiae tinctorum, corticis peruviani.

§. 102. Externe autem conducunt emplaſtra de cicuta, diaſulphuris Rulandi, de vigone cum mercurio. Liquor vegeto mineralis Goulardi, fomentum ex aqua calcis, aqua marina, vapor aceti laudatur a van Swieten. Ego quoque ipſe adhibui optimo cum ſucceſſu in puella pulcherrima, cujus hiſtoria haec eſt.

§. 103.

§. 103. Virgini remedium petenti ad abigenda ſudamina faciei, barbitonſor praeſcripſit cataplasma panis in cremore lactis macerati, hora decubitus faciei adhibendum; mane vero expergefacta cruſtam arefactam vi divellit, poneque aurem dextram ſentit tumorem ovi columbini magnitudinem aequantem, nimirum a materia perſpirabili vel repulſa, vel impedita, tumefacta fuit glandula parotis. Licet vero uſa eſſet, ut ait, diverſis remediis reſolventibus ſpatio ſex ſeptimanarum increvit ſemper tumor. Tandem ego advocatus praeſcribo interne pillulas de cicuta, uti tunc dierum mos erat tres bis de die, interponendo interdum cathartica mercurialia. Tum & externe vaporem aceti fortiſſimi calidum aliquoties de die parti admoveri jubeo, quorum ope diſſipatus fuit tumor quindecim dierum tempore.

§. 104. Struma mobilis libera optime curatur exſtirpatione vel deſtructione cauſticorum ope, ſi nullum a partibus vicinis adſit periculum, exulceratis inſpergendus mercurius praecipitatus. Fonticuli prope locum vel in non admodum diſſito inuſti haud contemnendi in ſtrumarum cura.

Cap.

CAP. XIV.
DE SCIRRHO ET CANCRO.

§. 105.

Tumor durus glandularum renitens ſine ullo dolore niſi ruditer contrectatus Scirrhus audit; aliquando eum praecedit inflammatio, lac ſtagnans in mammis, ictus, contuſio, ulcus praemature clauſum. Caeterum victus durus, aceſcens, potus ſimilis, moeror, triſtitia, labes hereditaria ſcirrhum creare poſſunt.

§. 106. Scirrhis facile vexantur hypochondriaci, vetulae poſt menſium ceſſationem, metallurgi, qui ſaturnina praecipue tractant; quique cibaria ex vaſis aeneis ſtanno haud incruſtatis coquunt. Pueri in orphanotrophiis & virgines in monaſteriis monialibus.

§. 107. Praecipuae quas occupat partes Scirrhus ſunt mammae, verus, teſtes, glandulae axillares, inguinales, meſenterii; hepar, lien, pancreas, inteſtina, oeſophagus. Inde varia inducunt incommoda ratione partis affectae, nec non magnitudinis tumoris. Ex parvo enim ſenſim increſcit.

§. 108. Praecipui autem Scirrhi effectus ſunt preſſio, functionum laeſio circa partes obſeſſas, inflammationes eorumque ſequelae, paralyſis, atro-

atrophia ſeu aridura: teſtium Scirrhus in viris, uteri in foeminis ſterilitatem & partum difficilem inducit. Oeſophagi dyſphagiam immedicabilem & mortem certiſſimam.

§. 109. Caeterum diu manent innocui, ſi non irritati, inde enim acrimoniam contrahentes dolore incipiunt & in cancrum abire ſolent. Per plures annos feruntur ſaepius absque noxa. Tulpius annotavit Scirrhum innocuum per quinquaginta, van Swieten per viginti integros annos. Qui Scirrho laborant, a nimio corporis motu, animi motibus, diaetaque acri, potuque vinoſo & ſpirituoſo abſtineant.

§. 110. In cura, emollientia, frictiones haud conducunt, ſtimulantia calida nocent. Molliſſima aluta pars ſcirrhoſa tegenda, vel lamina plumbea. Quamdiu adhuc ſpes eſt reſolutionis, tentari poſſunt mercurialia & interne & externe, quae quam maxime extolluntur in hepatis ſcirrho. Pilulae de cicuta, acetum ſale plantarum ſaturatum ad unciam dimidiam ter de die, laudat van Swieten. Topica hic optima unguentum Neapolitanum, emplaſtrum de ramis cum mercurio, diaſulphuris Rulandi. Vapor aceti, ſolutio ſaponis veneti in lacte & forma pultis ſpongia excepti loco ſcirrhoſo applicati, ſuperimpoſita veſica ſuilla oleo perfricata, uti habet van Swieten in teſtibus ſcirrhoſis proficuum. Vidi aliquando liquorem vegeto mineralem Goulardi. Suſpenſorium hic maximi uſus.

§. 111.

§. 111. Teſticuli extirpatio ultima eſt cura. Scirrhus vero mobilis, parvus, ſolitarius in corpore juvenili haud cacochymico a cauſa praecipue externa ortus, optime inſtrumento tollitur. In circumſtantiis contrariis operatio nocet.

§. 112. Scirrhus ſi non diſcutitur, nunquam abit in bonam ſuppurationem, ſed in tumorem dolentem vel inflammatum, qui Cancer vel Carcinoma dicitur. Occultus quam diu cutis integra, hac vero exulcerata apertus. Praecedit ergo ut plurimum ſcirrhus; aliquando nullo antecedente ſcirrho oritur in variis corporis partibus, naſo, labiis, lingua, mammis & utero, aliisque partibus internis. Ex rotundo & glabro fit aſper & inaequalis, dolor ſupervenit lancinans, venae ſuper tumorem diſperſae fiunt varicoſae, colore caeruleo atro tinguntur & ſimilitudinem induunt cancrorum pedum, indeque nomen.

§. 113. Cancer exulceratus ſtillat ichorem ſaniemve corroſivam acrem, quae totam ſanguinis maſſam veneno quaſi animali inficit, indeque fit febris lenta, ſudor & diarrhoea colliquativa, vigiliae, inquietudines. Ex utero prodeunt grumi ſanguinis corrupti cum doloribus vehementiſſimis. Haemorrhagiae fiunt vix compeſcendae. Ichor odorem peculiarem foetidum & vix tolerabilem ſpirat praecipue in uteri cancro. In mammis ulcus praebet ſordidum labiis duris everſis & excreſcentiis fungoſis tanquam braſſicis floridis

ridis ubertim protruſis, ſerpens & partes ſinceras ſimili malo afficiens.

> —— Malum ſolet immedicabile cancer
> Serpere & illaeſas vitiatis addere partes.

§. 114. Cauſae ut in Scirrho, at diſpoſitio ſcrofuloſa, miaſma venereum, ſpirituoſorum uſus in glandulis induratis, ad converſionem ſcirrhi in cancrum diſponunt. Animi pathemata violentiora ſcirrhum augent & in cancrum mutant. Uteri cancro praecipue afficiuntur foeminae libidinoſae, ſcortae circa menſium emanſionem.

§. 115. Suſpicionem cancri in utero dant tumores dolentes in mammis, magnus enim datur conſenſus mammarum cum utero; vita lubrica praegreſſa, triſtisve, menſtruationis negotium ultra 50 annos cum dolore procedens. Miasma cancroſum contagioſum eſſe perhibent, nunquam tamen mihi contigit videre cancrum a contagio contractum.

§. 116. Cancer internus, ubi manus acceſſus denegatur, immedicabilis prorſus, externus, occultus aliquando extirpatione curatur; atqui operatio eſt ſatis incerta, in cancro vetuſto & ubi glandulae ſubaxillares tument, corpore cacochymico, ſenilive, exaſperari enim videtur & ad alium tranſire locum, vel & denuo eodem in loco effrenate repullulare. Inde Hippocrates, quibus occulti cancri fiunt, eos non curare melius eſt,

eſt, curati enim citius pereunt, non curati autem longius tempus perdurant. Legi meretur diſſertatio de nociva cancri inveterati extirpatione à TRILLERO edita. Haemorrhagia die inſequente ab extirpatione dum tollitur apparatus malum praebet omen. Cancer exulceratus immedicabilis prorſus

> Ulceris id genus eſt, quod quum ſanabile non ſit
> Non contrectari tutius eſſe puto.

In gravidis quoque mammae cancri extirpatio non tentanda, vulnus enim difficillime conſolidatur & abortus periculum inducit. Tuſſis habitualis etiam vetat extirpationem ob metum haemorrhagiae.

§. 117. Palliativa ergo cura optima & tuta, tam in occulto quam in cancro aperto, qui inde non immerito Noli me tangere dicitur. Cancri occulti curati fuere uſu diuturno extracti cicutae, cujus uſus externus etiam laudatur fomenti vel injectionis forma, ſi in utero. Caeterum laudant ſcriptores acetum lythargyri externe; gas ſylveſtre ex cineribus clavellatis, aerve fixus ex creta vulgari cum aceto in cancro aperto. Cataplasma ex dauco ſativo. Quin & temerario auſu ſolutio aquoſa arſenici, vel ſublimati corroſiovi tam ex- quam interne. Succus belladonnae externe, decoctum ejusdem intus. Aqua calcis, emplaſtra ſaturnina, fonticuli prope locum juvant aliquando, quin & hirudines prope tumo-

rem in cancro occulto depraedicantur. Cortex peruvianus & interne & externe copioſe exhibendus poſt extirpationem. Diaeta ſit tenuis ex vegetabilibus, lacticiniis. Pro potu ſerum lactis cum cremore tartari. Injectiones No. 12. & fomentum No. 13. a quibusdam adhibetur.

Cap. XV.

DE GANGRAENA ET SPHACELO.

§. 118.

Gangraena dicitur partis mollis mortificatio a corruptione totali humorum, abolitione influxus vitalis. Si ultra panniculum adipoſum proſerpit malum, & musculos, ligamenta, oſſaque ipſa aggreditur ſphacelus ſeu perfecta partis mors audit.

§. 119. Gangraena Sphacelum ut plurimum praecedit, hanc vero inflammatio non reſoluta, nec in pure aut in ſcirrho converſa. Aliquando vero lente a cauſis internis, medulla & oſſibus corruptis oritur gangraenae ſpecies ſicca Necroſis dicta, absque praevia inflammatione aut tumore; interdum, haec ad aliquot menſes protrahitur, immo ad annos, ſeparata demum ſponte parte emortua & ſicca, a viva & ſana.

§. 120.

§. 120. Caeterum variae admodum dantur cauſae, quae gangraenam inducere valent, contuſiones nempe, inflammationes vehementes applicata frigida & oleoſa aut pinguia nimis in inflammatione externa. Morbi chronici phthiſici, hydrops, ſcorbutus, decubitus diuturnus in morbis acutis & chronicis. Vincturae & partium compreſſiones, nimis valida adſtrictio fasciarum in apparatu chirurgico haud raro, morſus animalis venenati, frigus atrox, uti populis borealibus familiare, dum extrema membrorum gelu ſtringuntur, uſtio, acria nimis ad cutem appoſita, hernia incarcerata, ſecalis cornuti uſus, ſenilis aetas, arteriarum & venarum oſſificatio, ſuppreſſio lochiorum per hauſtum frigidae. Ab urinis & foecibus, quibus aegri conſpurcantur, fiunt excoriationes indeque gangraena; quam maxime ergo munditiei ſtudendum.

§. 121. Gangraena fit interne aut externe ex iisdem cauſis. Signis evidentiſſimis noſcitur gangraena externa, non ita interna; analogice autem deducitur ex inflammatione praegreſſa, ſubita ſine cauſa doloris ceſſatione, aneisthesia fallaci, virium projectione, pulſuum parvitate, extremiorum frigore, oculorum collapſu & comprobavit tamen de HAEN exemplo foeminae ileo defunctae, gangraenam internam fieri poſſe absque ullis ſui praeſentiae ſignis.

§. 122. Signa vero Gangraenae externae ſunt, cutis color lividus, niger, veſtigium digiti im-

preſſi remanens, puſtulae ichore plenae, quod fere pathognomonicon, partis flacciditas, diſſolutio humorum putrida cum foetore cadaveroſo, quod ſphacelum quidem arguit. In necroſi pars ſicca, duraque manet mumiae aut carnis defumatae ad inſtar. In parte congelata vero dolor punctorius & magnus pruritus percipitur.

§. 123. Gangraena interna lethalis ſemper, uti & quae a cauſa interna, ſic & in ſenio. A decubitu oriunda praecaveri poteſt ſaepe, ſitus mutatione aſſidua, ſubjecta corpori molliſſima aluta, mundities ſummopere commendanda. Praeterea laudat DE HAEN unguentum compoſitum ex albumine ovorum ad ignem leviter calefactum, cui inſtillari vult ſpiritum vini certe praeferendum mihi videtur hoc unguentum pinguetudini cervinae, qua vulgo utuntur. Partes excoriatae emplaſtro diapompholygo tegendae.

§. 124. Caeterum ad curam ſeu ad impediendum progreſſum gangraenae commendantur ſcarificationes profundae, quibus gangraenoſum ſeparetur & ad ſuppurationem ducatur. Pars fovenda decocto corticis peruviani; fomento ex aceto, ſale ammoniaco, aqua calcis vivae cum ſp. vini camphorato. BELLOSTE unicum venditat remedium contra gangraenam, nempe ſolutionem argenti vivi part. I. in ſp. nitr. ſeu aq. fort. part. II. mercurius quoque laudatur tam interne quam externe in gangraena a morſu animalis rabidi. In gangraena a gelu, pars affecta nive te-

genda

genda & frigida lavanda. Cortex peruvianus tam externe quam interne copioſe exhibitus ſpecifice valet adverſus gangraenam. Acidum vitrioli putredini reſiſtit. In gangraena a ſenio & cauſa interna praeſcribit POTT felici cum ſucceſſu granum unum vel alterum opii ter vel quater de die, fomenta ex lacte calido laudat, ſcarificationes hic rejicit. Cicutam intus & extus in gangraena profuiſſe teſtatur VAN SWIETEN ſui ipſius exemplo, utpote quod ejus ope ab ulcere gangraenoſo in pollice ſanatus fuerit. Venae ſectio interdum potius praecavet gangraenam in motu ſanguinis nimio quam curat. Evacuantia hic enim debilitatem augent & ſpirituum difflationem, febrimque minuunt, quae ſaepiſſime neceſſaria ad ſuppurationem. Si vero omnia fruſtra atque metus ſit, ut de gangraena ſphacelus fiat, pars excindenda.

Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus
Enſe reſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Ulcus denique mundandum, ſp. ſal. tinct. myrrh. aloes, camphora.

Cap. XVI.
DE ALOPECIA ET PLICA POLONICA.

§. 125.

Alopecia dicitur capillorum defluvium, quae ſi partem glabram relinquit, calvities audit, ſi ad ſimilitudinem ſerpentis plagas digitales absque capillis relinquit ophiaſis eſt, affectus deformis & praecipue in junioribus, inde Poeta.

Turpe pecus mutilum, turpis, ſine gramine campus
Et ſine fronde frutex & ſine crine caput.

§. 126. Caeterum affectus proprius eſt ſenibus, aliisque, qui morbo chronico, phthiſi v.g. exhauſti. Symptoma quoque eſt in morbo venereo; venere exhauſti & moechi juniores calvi fiunt ſaepius, ruſtici prae caeteris calvitie plectuntur, quia nudo capite ſub Jove fere ſemper labores peragunt ſuos. Sic etiam calamiſtrati & nimio ſtudio frequenter capillos acu criſpant calefacta, calvi fiunt. Poſſunt etiam ad cauſas occaſionales referri munditiesc apitis neglecta, moeror & tegumenta lanea, quibus anxie nimis caput contra frigus munitur. Incurabilis eſt quae in ſenio & in defectu humorum fit. In idiopathica commendant inunctionem cum oleo abſynthii cocto,

ćto, vitatis ſimul cauſis occaſionalibus. Capitis raſura repetita conducit, hi enim, qui frequenter caput radunt, capillitium denſum habent.

§. 127. Plica polonica ſeu Trichoma eſt capillorum complicatio & conglutinatio in cirrosque mirae magnitudinis aliquando concretio cum cutis deſquammatione, nunquam noſtris in regionibus obſervatur, Poloniis vero endemius eſt affećtus.

§. 128. Morbus eſt ſatis periculoſus, uti perhibent, nam abſciſio plicae coecitatem, apoplexiam, tabem poſt ſe trahit. Eſtque contagioſus, uti habet Erndtelius per intimiorem ac propiorem contaćtum ac uſum ſtragulorum aut veſtimentorum ſudore Plicati conſpurcatorum. Nulli aetati, nulli ſexui parcit.

§. 129. Cauſa proxima reſidere videtur in ſpeciali cacochymia & humorum corruptione, concomitantur enim varia phaenomena luis & ſcorbuti; praecedere ſolent horripilatio, anxietas, dolor lancinans artuum, cephalalgia, oculorum lippitudo, aliquando furfures aut pediculi in capite generantur. In majori gradu aut peſſima traćtatione, oſſa incurvantur, fiuntque exoſtoſes, convulſiones.

§. 130. De cura hujus mali non multum tradunt ſcriptores. Diaetam commendant euchymam. Decoćtum lignorum pro potu ordinario,

 alvi

alvi ductionem repetitam per cathartica mitiora & ſpecifice pro capitis fotu decoctum lycopodii.

CAP. XVII.
DE ELEPHANTHIASI.

§. 131.

Peſſima morborum cutaneorum ſpecies eſt lepra Arabum, Graecis Elephanthiaſis dicta, vel ob aſperitatem & cutis rugoſitatem elephantum ad inſtar, vel ob magnitudinem morbi, uti habet MACER.

Eſt leprae ſpecies Elephanthiaſisque vocatur
Quae cunctis morbis major ſic eſſe videtur
Ut major cunctis Elephas animantibus exſtat.

dicitur etiam Leontiaſis ob aſpectum ferinum, praeprimis enim faciem occupat. Satyriaſis quoque audit ob perpetuum fere priapismum, inſatiabileque deſiderium ad venerem, quo aegri plectuntur. Morbus quoque Phoeniceus vocatur ob frequentiam ſuam in Phoenicia & Palaeſtina. In Arabia, Graecia ſatis nota, in Suecia, Norvegia quoque haud prorſus ignotam eſſe habet LINDESTOLPE; non recte igitur affirmavit LU-

CRETIUS

CRETIUS propriam atque indigenam tantum eſſe in Aegypto.

> Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
> Gignitur Aegypto in media praeterea nusquam.

§. 132. Morbus ſic deſcribitur, tubercula primo apparent in fronte, facie, quae cruſta foeda induuntur, halitus foetet ob faucium exulcerationes, vox eſt rauca, dein brachia, genua totumque corpus obſidet. Cutis fit rugoſa, finditur rimis ubique, unctuoſa fit, pilis deſtituitur, venae ſunt magnae a tunicarum craſſitie, pedes quam maxime tument motuque privantur, ob cutis duritiem inſenſibilis fit, ut acus puncturam vix ſentiat.

§. 133. Cauſae remotae ſtatuuntur ab authoribus aer humidus, regio calida, eſus piſcium, oleoſorum, putridorum, ſuillae &c. Inde antiqui legislatores deterrebant ab eſu carnium in regionibus calidis.

> Sylveſtres homines ſacer interpresque Deorum
> Caedibus & foedo victu deterruit Orpheus.

MOISES in regia educatus proſcribit Judaeis aves rapaces, aquaticas, ſuillam, a cujus eſu etiam abſtinebant Aegyptii, reptilia, piſces non ſquammigeros, quorum carnes viscoſae & putridae, Inde-

Indeque ait PLUTARCHUS laudatis hiſce inſtitutis atque praeceptis, Judaeos abhorrere ab omni alimento, quod e mare provenit, (in quo tamen errat) dum credunt hoc elementum hominibus eſſe, nec non a ſuilla, quia vitiliginem & lepram inde produci putant. Mirandum autem mihi venit, cur anſeres atque anates non interdixerit divinus legislator, ſaltem ex quanto nobis nota lingua hebraica. PYTHAGORAS doctrina Aegyptiorum imbutus ſimilia tradidit Dogmata.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora. Sunt fruges ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidaeque in vitibus uvae;
Sunt herbae dulces, ſunt qui miteſcere flamma
Mollirique queant, nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore
Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit atque epulas ſine caede & ſanguine praebet
Carne ferae ſedant jejunia, nec tamen omnes
Quippe equus & pecudes armentaque gramine vivunt.

§. 134. Morbus eſt contagioſus & propagatio fit per generationem & lactationem potius quam per attactum, coitum vel concubitum. Incurabilis fere eſt & diuturnus, membratim enim atque lente moritur homo, extremaque fruſtulatim deci-

decidunt. Antimonialia, mercurialia & decocta lignorum laudantur tamen. A mercurialibus vero exacerbari morbum aſſerunt alii, tinctura cantharidum interne prae omnibus extollitur a MEAD. Caro & jura viperina ab aliis. Folia boni Henrici commendantur ad tubercula obtegenda, veſicantia quoque, laus adhibita ſit Deo quod Hafniae ignota.

CAP. XVIII.

DE LEPRA.

§. 135.

Tubercula verrucoſa vel cruſta nigro colore fere tincta faciem totumque corpus obſidentia lepram ſiſtunt. Lepra Graecorum proprie dicta tuberculoſa eſt, aerique expoſita cutis corrugatur, exaſperatur, totaque apparet unctuoſa, uti referunt itineraria. Aqua ipſi inſperſa vix haeret, ſenſim craſſeſcit, rugoſa redditur, magnis ſquammis & furfuribus deſquammatur cum moleſtiſſimo pruritu. Caeterum tubercula ſenſu carent. A ſquammis, quibus ſaepius cutis piscium in more tegitur, lepra ichthyoſis audit.

§. 136. In Lepra major eſt lymphae corruptio quam in ſcabie, quae non niſi temporis tractu in Lepram tranſit. In Lepra autem partes carnoſae quoque exulcerantur. Caeterum in aere humi-

humido ac calido provenit, qui inopia aquam coenoſam, ſemiputridam potant atque pro victu carnem bubulam, camelorumque, & piſces ſalitos ſemiputres in ſtagnis & lacubus captos, caſeumque immodice ſalitum ac ſemiputrem edunt, lepra afficiuntur prae caeteris. In Aegypto, teſte ALPINI morbus eſt familiaris, noſtris in oris prorſus ignotus.

§. 137. Morbus omnium, qui cutim deturpant, foediſſimus, contagioſus fit per accubitum potius, quam per ſimplicem contactum, recte tamen noluit ELISAEUS propheta, quidquid accipere de NAAMANO Syrio, cum ſanaverit illum a Lepra, quae quidem adhaeſit GEHAESI famulo prophetae, cum tandem ipſe ſecutus NAAMANUM, veſtimenta aliaque ab eo aſſumeret. Hereditarius ad tertiam vel quartam generationem interdum propagari ſolet, uti refert MICHAELIS in jure Moſaico; interdum tamen e leproſis parentibus nitidi oriuntur infantes; in quibus vero poſtquam puberes facti ſunt, tecta labes foras erumpit, eoque atrocius forſan, quo diutius ſepulta jacuit. Refractaria manet ad plurimos annos ad vitae tempus ſaepius excurrit. Foeminam novi olim Amſtelodami degentem, Lepra ad omnia rebelli mire deturpatam per quam plurimos annos, num ad vitae tempus, neſcio. Inveterata incurabilis omnino, inde in ſacris litteris nulla quoque mentio fit de medicina adverſus Lepram Palaeſtinae endemiam, ſed tantum de purificatione ſacerdotali, qui impuri a mundis ſequeſtrabantur.

Fini-

Finire ut plurimum ſolet tabe pulmonali & hydrope, ſanguinisque abſoluta corruptione, qui eductus foetidiſſimus eſt. In cura tamen laudantur jura viperina, cicuta, mercurialia, aethiops, decoctum corticis ulmi ſpecifice, diaeta lactea. Externe vero aqua calcis, balnea ſulphurea, inde ſanavit Elisaeus Naamannum ablutione aquae Jordanis, quae etiam nunc dierum commendatur ad Leprae curationem ob naturam ſalino-ſulphuream, uti teſtantur itinerum ſcriptores.

§. 138. De Lepra vero veſtimentorum, de qua in ſacro codice, non abs re erit putare, quod fuiſſet veſtimentum ichore e tuberculis leproſis maculatum forſanque ſtamina erodente, quod a legislatore comburi jubebatur, quo contagium minueretur; uti fit apud Hiſpanos cum veſtimentis phthiſi extinctorum. De domorum autem Lepra cum Meadio, Michaelique ſentio, nihil aliud fuiſſe quam ſales calcarii & nitroſi niveo fere colore propullulantes in muris gypſo parum idoneo obductis haud diſſimile prorſus quod haud raro noſtris in domiciliis praecipue in cellulis humidis obſervare licet.

Cap.

CAP. XIX.
DE SCABIE.

§. 139.

Scabies ſeu Pſora eſt cutis defoedatio per effloreſcentiam variam, ulcuſculaque magnum pruritum, accedente praecipue calore loci, lecti, motuque majori excitantia, ichoremque plorantia, eſt ergo humida & ſicca, illa hac pejor. Prae caeteris manus, genua & digitorum interſtitia occupat, caeteraſque corporis partes praeter faciem.

§. 140. Incipit interdum per puſtulam ſingularem hinc inde inter digitos pellucidam & lymphae acris plenam, vicinia erodentis dum effluit. Senſim increſcit malum & cruſtas format foedas. Si ex glandulis ſubcutaneis ad panniculum adipoſum penetrat, ulcera format.

§. 141. Scabies malum eſt contagioſum per contactum & accubitum; acquiritur ſaepe geſtatione chirothecarum, induſiorum ſcabioſi, ſponte ſaepius oritur ab immunditie, habitaculo humido, diaeta & victu acri, inde pauperes potius quam divites ſcabie afficiuntur, ex abuſu fructuum horreorum, a frigore nimio. Endemia datur quibusdam locis; epidemicam recenſet HOFFMAN & ab aere humido deducit. Periodicam

vidi

vidi in puella per ſeptem annos regulariter circa ver redeuntem. Critica ſupervenit aliquando morbis acutis vel chronicis. Refractaria eſt ſaepe ad plurimos annos; circa aequinoctia praecipue infectat.

§. 142. Cauſa proxima conſiſtit in miasmate ſpecifico, acidae naturae forſan; quidam uti Mead, Pringle, Rosenstein, Plencis &c. miasma verminoſum admittunt; quodſi animalcula quidem in ſcabie inveniantur non raro, non ut cauſam, ſed tanquam conſentaneum cum Plenkio ſtatuere mihi placet.

§. 143. Prae caeteris reperiuntur ad hunc morbum contrahendum proni, qui in locis paludoſis & maritimis habitant, qui aerem & aquas mutant conſuetas. Plurimos Hafniae appulſos vidi ſcabie affectos, praeſertim ſi munditiem negligunt; ſenes melancholici ſcabiei ſiccae ſubjecti manent.

§. 144. Scabie affecti ſomno privantur, macie plectuntur, appetitu carent ciborum, alvus eſt dura, urina pallida. Scabies ſaepius repellitur & nullius non morbi cauſam feracem exiſtere poſſe nemo dubitat. Ad pulmones delapſa tabem affert immedicabilem, tuſſim, hydrothoracem, ad oculos caecitatem, ophthalmiam, ad caput apoplexiam, maniam &c.

§. 145. Ad curam mundities & linteaminum ſaepe mutatio commendatur. Corporis ablutio

quotidiana in aqua marina, balnea ſulphurea, balnea tepida lixivioſa ſaponis ope facta maximi uſus inveni ſaepius. Veſtimenta vapore ſulphuris impraegnanda in aere aperto, ne pulmones laedantur. In diaeta abſtinendum a ſalinis, carne ſuilla, quae jam a Moise interdicta Iſraelitis Palaeſtinam incolentibus, ubi eruptiones ſcabioſae endemiae fere, vegetabilia vero blanda, lacticinia, ſerum lactis, decoctum lignorum pro potu optima cenſentur.

§. 146. Medicamenta quod attinet, laudantur purgantia, mercurialia, ſulphurata No. 14. interne. Sulphur auratum antimonii, camphora; nutrici etiam ſulphur datur, ſi infans tenellus ſcabie laborat. Cicuta a quibusdam uſurpata fuit bono cum ſucceſſu. Nunquam aut raro certe feſellere ſpes meas pilulae mercuriales No. 15. bis in hebdomade hora decubitus ſumptae.

§. 147. Externe utimur remediis ſaturninis, liquore vegeto minerali, aqua calcis cum grano uno vel altero mercurii ſublimati corroſivi pro lotione, quae potius in humida quam in ſicca valent. Unguento Neapolitano vel & unguento No. 16. quo artus inungendi hora ſomni. Hisce vel ſimilibus ſcabies per contagium communicata in corpore caeteroquin ſano facile curatur; difficilius vero in cacochymico, in quo magis ad cacochymiam peculiarem attendendum. Scabies repulſa quantocyus evocanda veſicante, quo olim ſanavi rheumatismum ab hac cauſa ortum; vel

vel inſitione ſcabiei, ſtupor ſic curatus fertur in Theſauro Diſſertationum Sandifortii. Caeterum fonticulis, ſetaceis, inuſtione materies ſcabioſa eliminanda.

Cap. XX.

DE TINEA.

§. 148.

Eruptio ſcabioſa vel humida vel ſicca, & furfuracea capitis Tinea eſt. In facie cruſta lactea audit, cruſtas enim & eſcharas format decidentes brevi iterumque renaſcentes. Cruſta lactea citius & ante dentitionis tempus erumpit. Tinea vero non niſi poſt dentitionis tempus ad ſeptimum annum usque.

§. 149. Tineae tres dantur gradus, ſc. in primo velamen ſiccum albidum, furfuraceum tegit caput. In ſecundo caro granulata apparet ad inſtar ſeminum in ficubus transverſum ſectis. In tertio demum ulcuscula adſunt manantia ichorem foetentem cum pruritu moleſtiſſimo.

§. 150. Cauſa in acrimonia acida quaerenda, in cacochymia parentum, in prava nutricum, infantumve diaeta, dulcium eſu, ſpiri-

 tuoſo-

tuoſorum abuſu. Hyberno tempore praecipue floret. Eruptio eſt critica, qua natura humorum abundantiam & nutritionem ſuperfluam depellit. Cavendum igitur a repellentibus, ſubito refrigerio, frigida capitis ablutione, terrore, mercurialibus & ſulphuratis externe applicitis. Induci enim inde poteſt caecitas, ſurditas, aſthma, convulſiones, epilepſia, ſcrophulae vel ſponte diſcutiendae tinea denuo erupta vel in ſuppurationem abeuntes. Cathartica vero mercurialia ſaepius repetita proſunt. Diaeta blanda ſit. Topice emplaſtrum de ſpermate ceti innoxium. Cicuta interne & externe aliquando pro fotu profuit. In metaſtaſi emplaſtrum de meliloto cum quarta parte veſicantis capiti impoſitum per aliquot horas optime valet ad humores extrahendos, materiemve acrem alliciendam. Fonticuli, capillorum abraſio, fumus tabaci, in adultis aliquando prodeſſe poſſunt. Dropacibus tineam curare carnificis non Medici eſt.

Cap.

Cap. XXI.

DE IMPETIGINE ET HERPETIBUS.

§. 151.

Papillarum agmen ſeu circulus prurientium in ſquammasque abeuntium Herpetes ſiſtunt. Simplex eſt qui pruritum excitat furfuraceus non valde ſerpens. Serpigo a ſerpendo latius aliquando in cute dicitur. Interdum cutim erodit vel exedit. A papullis grani millii ſimilibus Miliaris audit; ſaepe cum veſiculis humore acri plenis complicatus eſt. Si poplitem, ubi ſubligaculo vinciri ſolet, infeſtat, Periſcelis vocatur. Collaris, ſi collum occupat, uti fit in caleſiaſticis prae caeteris, qui collare ſmalta coerulescente coloratum gerunt. Unum tantum locum obſidens lichen eſt: magis univerſalis impetigo. Quae ſeſe maculis albis ſerpentibus prodit, vitiligo ſeu Alphos dicitur; ſi phagedenica vel cutim nimis exaſperans Leuce, qui ergo pejor gradus. Sic unus idemque fere morbus pro varietate gradus, formae, ſymptomatum, loci vel & partis varia acquirit nomina.

§. 152. Serum acre cauſa proxima, remotae victus ſalſus, acrimonia ſcorbutica, miasma venereum. Emergunt vere, aeſtate vigent, au-

tumno perſeverant, hyeme fere pereunt. Caeterum affectus eſt refractarius valde curatuque admodum difficilis. In juventute tamen potius cedit, niſi hereditarius quam in ſenectute.

§. 153. Commendantur vero varia ad morbi curationem; vulgus uti ſolet atramento, ſaliva, oleo empyreumatico chartae combuſtae; vel oleo tartari p. d. pro fricanda impetigine; quod ſuccedit aliquando in lichene parvo & humores ubi boni; efficaciora autem ſunt unguentum roſaceum cum ſulphure mercurio pp. albo. Veſicans topice adhibitum efficaciſſimum non raro inveni, eoque ſanavi herpetem phagedenicam in nucha; ulcere ad ſuppurationem deducto per quindecim dies.

§. 154. Interne valent purgantia mercurialia. Bonum in hoc morbo effectum edidit aliquando mihi ſolutio mercurialis ſpirituoſa Swieteniana. Decocta lignorum ſcopo ſudorifero. Hinc & balnea tepida conducunt. In diaeta praecipue laudantur lacticinia, ſerum lactis pro potu. Eſus pomorum acidorum profuit aliquando in herpete collari.

CAP.

Cap. XXII.

DE LUE VENEREA.

§. 155.

Lues venerea vario tempore varia obtinuit nomina, dum ob turpitudinem morbi, non niſi per impurum coitum atque contagioſum commercium contrahendi originem a ſe unaquaeque gens depellere conabatur, aliud imponebat nomen. Sic variola Hiſpanis dicebatur, quia Hiſpani commercium habentes cum foeminis Americanis, reducesque cum Christophoro Columbo ad Hiſpaniam morbum attulerunt. Alii morbum Neapolitanum vocavere, dum in exercitu Caroli octavi Neapolim obſidente primo comparauit. Neapolitani iterum morbum a Gallis tunc temporis ſe circa annum 1493. contractum aſſerentes, morbum Gallicum vocavere. Obtinuit tandem unanimi fere conſenſu, uti ait van Swieten, ne odia gentilitia inanibus jurgiis increbreſcerent, novum luis venereae nomen confingere in neminem contumelioſum, ad ſignificandum morbum, qui venere contrahitur maxime idoneum. Dicitur etiam ſyphyllis a ſyphyllo regis Alathoi greges paſcente ſolique inſultante, qui inde foedo morbo plectatus fuit, ſyphyllidemque ab eo labem dixere.

§. 156. Circa originem morbi varia eſt authorum ſententia. Morbum aphrodisinum effreni hominum libidini atque corruptelae meretriciae coaevum eſſe affirmat Harris. Frequens coitus plurimorum virorum cum ſordida, mali cauſa eſt ſecundum Gardane, cum menſtruantibus Schacht. Illud vero admiratione dignum, ut cum Hoffmanno dicam, Conſtantinopolae luem veneream plane exulare, cum haec gens in libidinem ſit effuſiſſima ſuae alienaeque pudicitiae maxime prodiga. Rationem idem Hoffmannus affert, dicens; quod foeminae, a quib[illegible] ſcaturigo mali fluit, poſt veneream συνεσιαν ſemper ſe lavantes, impuras ſordes eluant & abſtergant. An non etiam inde deducere licet, cur gens Judaica minus prae caeteris lue afficiuntur, quam diu a venere vaga cum menſtruantibusque coitu abſtineant? Ab influxu ſiderum multi originem morbi deduxere, alii ab aeris quidem occulta qualitate. Verum haec nullo nituntur fundamento, cum ſemper ubique cauſae relatae extitere, morbumque venereum novum omnino eſſe, ſaltem non innotuiſſe niſi ſeculo decimo quinto Europaeis. Videturque certam ſtare ſententiam horum, qui affirmant luem veneream. Variis inſulis, praeſertim autem in Hiſpaniola endemiam olim fuiſſe, indeque in Europam transmiſſam, unde vero primus ſine ullo contagio aut labe ulla extrinſecus communicata morbum contraxerit incertum admodum.

§. 157.

§. 157. Miſſis ergo, quae de antiquitate vel novitate, origineve luis habentur, de natura & ſymptomatibus, variisque medendi methodis agere placet; & inprimis dividere eſt morbus in topicum, partialem & univerſalem, ſeu in ſymptomata, quae genitalia praecipue afficiunt, & in ſymptomata, quae totum obſident corporis habitum & luem conſtituunt confirmatam.

§. 158. Accidentia topica praeter gonorrhoeam, de qua jam alibi, ſunt in membro virili phymoſis, paraphymoſis, bullae cryſtalinae ulcuscula cancroſa in glande teſtium tumor; in utroque ſexu bubones inquinales, rhagades, condylomata, aliaeque excreſcentiae nomen accipientes, a figura, quam aſſumunt, tum & ulcera fiſtuloſa circa anum, quae tamen non niſi in morbo inveterato fiunt verrucaeque.

§. 159. Luis confirmatae ſigna praeprimis ſe produnt in faucibus, ad naresque inde aſcendunt, indeque loquela naſalis in adultis, ciborum per nares regurgitatio, deglutitio difficilis, ſputatio frequens, expuitio puris foetidi, copioſi, ulcera glanduloſa lardeacea, ſerpentia lata magis quam profunda, quorum labia ſunt pallida, praecipue vero in tonſillis. Apud infantes glandulae tument colli halitusque quam maxime foetet.

§. 160. In ſuperficie corporis adſunt maculae, puſtulae, eruptiones excedentes, ichorem

ſtillantes & linteamina flavo tingentem colore, quae multum levaminis afferunt quoad dolores, qui in oſſibus fiunt nocturni, tepore lecti valde aucti, mane appropinquante mitiores. Tumores praeterea fiunt glandularum ſubaxillares, pone aures, exoſtoſes, tophi, nodi ad oſſa cranii, artuumve, exulcerationes circa frontem & partem capitis capillatam in ſexu ſequiori fiunt excreſcentiae fungoſae ad pudenda. Notandum tamen obiter, luem veneream non adeo ſaevire quam olim.

§. 161. Larvam ſaepe induit aliorum affectuum, inde hemicrania, tuſſis, fluor albus, amauroſis, ſurditas, raucedo, ophthalmia, phthiſis, morbus coxarius, rheumatismus, convulſiones, epilepſiae refractariae ſaepiſſime, non niſi hydrargyroſi curanda. Hinc ſumma difficultas interdum in morbo detegendo; hinc ſumma prudentia opus in quaeſtionibus inſtituendis, apud foeminas honeſtas haudque ſuſpectae virtutis. Graphice quidem depinguntur hisce verſiculis luis venereae phaenomena omnia.

Syphyllis incaſtae mentis juſtiſſima merces.
Per te forma cadit faciei, puſtula vultum
Defoedat, vox rauca ſonat; perit inde loquelae
Gratia, nunc grave olet quem pulmo mittit ab ore
Spiritus ut feriat nares cum foeda Mephitis

Omni-

Omnibus articulis accedunt nodus & ulcus.
Quae ſaniem plorant, quam naſus nauſeat ipſe
Contractura pedes habet & dolor urget eosdem:
Igneus & macies deturpat lurida corpus.
Funera denſantur juniorum millia centum.

§. 162. Adulti non niſi impuro coitu morbum contrahunt, infantes vero ob fibrarum ſtructuram laxiorem facile nudi dormientes cum inquinatis in eodem lecto venenum excipiunt, nec non per linteamina ichore ulcerum forſan conſpurcata, tamen non adeo facile credendum iis, quos ſaepius pudet cauſam contagii veram Medico propalare. Tum per oſcula, lactationem a nutrice in alumnum & viciſſim, uti proſtant exempla. Sic etiam perhibent attactu obſtetricem a parturiente, reciproceque parturientem ab obſtetrice infectam. Infantes labe hereditaria ex utero materno vidi miasmate venereo infectos, in lucemque editos, ſubinde mortuos, ſubinde vivos atque ſemiputridos & corruptos: interdum ſanos quidem apparentes usque in aliquot menſes, quando puſtulis, ulceribus in labiis, artubus, pudendis & ano tegebantur, vel & lippitudine & ophthalmia cum palpebrarum coalitione afficiebantur.

§. 163. Prodit primo in parte, quae contagio tacta, inde infantes a nutrice infecti contrahunt primo ulcera in ore faucibusque, e contra nutrices ab

ab infantibus in mammis. Si per accubitum in lecto aut veſtimenta, in peripheria corporis & cute prima ſigna apparent. Adultis circa genitalia inprimis oriuntur ſigna contagii. Poteſt tamen aliquando virus venereum per reſorptionem communicari topice ad partes ſingulares, uti quidem ſaepius in ipſis bubonibus obſervare licet. Nec credendum, quod ſtatim a contagio inſequatur lues, latere enim diu poteſt in corpore, antequam indicia ſui det, immo ad aſpectum ſani alios inficere poſſunt. Verum enim vero miaſma venereum latere poſſe, nullo unquam antea ſigno praevio recepti virus non conſtat.

Bubo.

§. 164. Symptomata topica optime ante luem generalem pertractantur, interque haec caeteris Bubo praeponendus mihi videtur. Bubo autem inquinalis tumor eſt figurae oblongae, qua prae caeteris ab hernia diſtinguitur, quae ſphaerica fere eſt. Haec niſi incarcerata digito prementi cedit, non ita ille. Vomitus quoque & febris diſtinguunt herniam incarceratam a bubone.

§. 165. Bubo eſt phlegmonodes, oedematodes, ſcirrhodesque interdum. Phlegmonodes requirit medelam antiphlogiſticam, venae ſectionem ſcilicet, nitroſa & camphorata, externe autem ſuppurantia in uſum vocanda, tarde tamen ad ſuppurationem tendunt. Suppurati, quidam quantocius aperiendi ſentiunt, quidam e contra

non

non tam cito, uti vulgo fit, ſed potius expectandum putant ad pleniorem maturationem, aliter indurationes & ulcera fiſtuloſa ſubinde remanere ferunt; ſuppuratio potius digeſtivis, unguento baſilico quam mercuriali promovenda.

§. 166. In aperiendo bubone praefert Astruc cauterii uſum ſectioni, tum quod cauteria latiorem inferant plagam, unde interiora bubonis perſpicere & curare facilius licet, tum potiſſimum quod cauteria catheretica facultate callos durioresque glandularum partes abſumant vel putrefaciant, unde ulceris ſuppuratio, deterſio & glutinatio facilius procedunt. In Oedematode optime valet repellens ſaturninum Goulardi ſimul cum catharticis mercurialibus. In ſcirrhode vel admodum duro linimentum adhibe coeruleum & emplaſtrum de ranis cum mercurio, pannosque imbutos ſpiritu vini camphorato additis aliquot granis mercurii ſublimati.

Teſtium tumor.

§. 167. Teſtium tumor ſaepe fit a materia gonorrhoica ſubito ſuppreſſa, ſubinde discutitur, raro vero ad ſuppurationem tendit, ſed ut plurimum in ſcirrhum aut ſarcocelen tranſit. Venae ſectio vel potius hirudines ad ſcrotum applicatae hic optime valent. Gonorrhoea iterum quoque excitanda diureticis therebinthinaceis & inoculatione virus venerei in pene. Teſticulus ſcirrhoſus excindendus. Caeterum tentari de-

bent

bent ſolutio ſalis ammoniaci in aceto, liquor Goulardi, ubi non adeſt inflammatio, neque omittendum ligamentum ſuſpenſorium.

Phymoſis & Paraphymoſis.

§. 168. Phymoſis ſeu glans praeputio nimis tecta, quo aliquando urinae emiſſio praepeditur, emollientibus, lacte tepido tractetur. Paraphymoſis vero, ubi glans nimis detecta, praeputium cingulum format, quo caput veretri, tumet & inflammatur, antiphlogiſtica & ſcarificationes poſcit. Si non adeſt inflammatio, uti aliquando contingit in neonuptis & a primo coitu cum virgine fit, immerſio membri in aquam frigidam ſaepiſſime juvat, aliter balnea & fomenta lactis tepidi, inunctio cum unguento mercuriali. Bullae cryſtallinae paraphymoſin ſaepius concomitantur veneream.

Ulcuſcula cancroſa, verrucae &c.

§. 169. Ulcuſcula rotunda, orbicularia, calloſa, muci albicantis plena in fundo, pudenda ſive virilia ſive muliebria obſidentia, cancroſa dicuntur, levioribus cathereticis extirpanda. Aqua phagedenica penicillo adhibita hic optime valet. Verrucae & excreſcentiae molliores circa genitalia & anum eodem fere modo curantur. Si planiores aut latiores ſaltem; quod ſi penſiles aut longiores ligatura deſtruendae, dein lapide infernali, butyro antimonii tangendae, eſchara

dein

dein amota digeſtivo deligandae, ut per ſuppurationem conſumantur.

Lues confirmata.

§. 170. Lues venerea eo gradu producta, quo §. 158. ad §. 161. traditur, periculoſa valde eſt, operoſiore eget medicatione, quamvis multum a ferocia depoſuerit, mitiſſimeque ſatis pro olim quo primo innotuerat, infeſtet, luetque hodie acceptum, uti olim jam a Berengario Carpio. Graviorem morbum ptyalismum requirere ope hydrargyri excitatum ad ſui eradicationem, operae pretium mihi videtur, omnes methodos recenſere, quae adhibitae fuere in morbi curatione; primoque incipiendo a methodo ſudorifera, quae vel interna vel externa inſtituebatur medicina.

§. 171. Sudores promovebantur in lue curanda olim decocto ex guayaco radice china, ſarſaeparilla, ſaſſafras, corpus eo replebant & in laconico collocabatur, ut copioſe ſudores per aliquot horas. Hac methodo inſiſtebatur per dies 40 tribus aut quatuor periodis aequalibus cathartica exhibebantur. Decocto guayaci ſanari poſſe luem venercam pinguedinem diſſolvendo corpusque emaciando aperit Huttenius indeque etiam patet, cur potius in temperamento frigido quam in calido conducat. Revera quidem uſum habet in morbo leniendo, non autem in eradicando.

§. 172.

§. 172. Sudores quoque promovebat Huttenius ſpiritu vini accenſo, Polonis mos eſt ſudorem excitare, aegris in fimeto poſitis, de quo audiendus Erndtelius alius autem adhuc eſt, apud Warſavienſes ait, dictorum fimetorum uſus, dicam an abuſus, dum pauperibus & praeſertim illis qui venerea foedantur lue, & propter putidas exulcerationes & deturpationes corporis, contractumque formidabile contagium, non facile ab aliis in tecti & victus conſortium recipiuntur pro ut ultimo inſerviunt refugio: in hisce enim fimetis ſpeluncas ſibi effodiendo efformant, ut durante intenſe caloris aeſtivi aeſtu, accedente inſuper ex fimo fermentescente. Urente calore, corpora ad ſudorem perpetuum diſponant, eodemque foeda ulcera & dictum venereum virus diſſipent, atque in tantum curent, quod ut eo facilius procedat, quidam a chirurgis foeces ex decoctis lignorum antivenereis reſiduas emendicant, atque ex his decocta denuo ſibi parare faciunt, eademque in fimetis aeſtuantes avide haurire ſolent, atque ejusmodi curationes per tres vel quatuor ſeptimanas incredibili patientia tolerant &c. & hoc facto tamen in tantum per ſordidiſſimam hanc curam a ſordido malo curantur; in quantum luem veneream per ſudores continuos & copioſiores ſanare licitum eſt. Atqui non immerito cum Trallesio exclamandum digna ſane ex immunditiis per immunditias eluctanda via. Dignum tale ſua patella operculum atqui methodus inſufficiens, niſi forſan

ſan in leviori malo recurrere fecit ad uſum mercurii.

§. 173. Mercurius vario quidem modo in uſum vocatus fuit ad curandam luem, ſcilicet externa & interna applicatione, externe quidem ſuffimigio, litu praecipue adhibetur. Interne vario modo varia ejus praeparata porriguntur. Suffimigia autem inſtituebantur cinnabari factitio, ſeu mercurio cum ſulphure ope ignis mixto ſuper prunas accenſo. Caute caput a fumo muniebant, ſingulis tribus vel quatuor diebus ad horae quadrantem fiebant. Quindecim fumigationes ſufficere credebant. Medici Pariſienſes hanc methodum aliis praeferebant, praeſertim in infantibus, quos jubent poſt ſingulam fumigationem in aerem deducere liberum, atqui dum noxia ſuffumigatio reperta capiti & pulmonibus jam diu exulavit in cura luis venereae.

§. 174. Litus mercurialis fit vel ſcopo excitandae ſalivationis vel ut inde non ſequatur ptyaliſmus. Huic fini parva quantitas unguenti No. 17. ſingulis vicibus inungenda, neque ſingulis diebus, ſed relicto aliquo intervallo duorum vel trium dierum prima vice artus ſuperiores tantum, altera autem genua tantum, & ſic porro alternando ſemper. Deſiſtendum ab inunctionibus ſtatim ac gingivae tumere aut dolere incipiunt. Tuto operatur remedium per ſudorem, urinam aut alvum. Linteamina quoque tibialia mutanda, dum indicia ſalivationis inſurgunt.

§. 175. Si vero animus eſt ptyaliſmum promovere inunctionum ope, tum copioſiore quantitate repetitisque vicibus absque intervallo ſcilicet, ſingulis noctibus inſtituendae inunctiones, & ad methodum Sydenhami, qua praecipue prioribus annis, quibus praxi operam dedi, tertia parte unguenti No. 17. brachia & crura cum tibiis ad tres noctes continuas manibus propriis inungere aegro percipiebam. Non adeo anxie tamen, ut ipſe Sydenham, arcere curabam axillas, inguina ab attactu linimenti. Frictionem inſtitui ab ipſo aegro volo, non a famulo aut jatralipta ſic dicto, quamvis aliter ſentiat Astruc. Facile enim in diſcrimen ſalivationis venire poteſt, perditurque etiam mercurii portio, ſi alius inungit. Vidi ut ille, quos laudata methodus vix gingivarum exulcerationem efficere valuit, multo minus ſalivationem procurare. Interdum vero bonum effectum vidi, ſcopumque attigi exhibitis thurbith mineralis granis octo in conſerva roſarum rubrarum. Interdum nihil inde profeci; ab uſu mercurialium ergo pro tempore ſaltem deſiſtendum erat.

§. 176. Cura interna luis venereae largiorem doſin mercurii vario modo etiam praeparati requirit, ſive inde excitandus ſit ptyalismus, ſive non. Neque enim in hoc concordes ſunt omnes, num ad luis curationem abſolute requiritur ſalivatio, uti poſtea dicetur. Salivatio ergo cito excitatur ab uſu mercurii dulcis

ad

ad grana decem, quindecim bis aut ſemel de die per aliquot dies exhibiti; atqui ſaepe ruit mercurii vis ad inteſtina, tormina atque diarrhoeas cruentas excitat moleſtas, unde varia tentata ſunt, quibus haec incommoda praevertantur.

§. 177. Sunt autem, qui mercurium ad longiora porrigere volebant intervalla, atqui fruſtranea atque taedioſa inventa nimis fuit methodus. Qui in panacea mercuriali remedium tutum quaeſivere, decepti ſunt, dum inde aeque ac a mercurio dulci certo certius ſalivatio inſequitur. Camphoram mercurio miſcere ad ſalivationem praepediendam, uti quidam perhibent, inutile eſt, uti multoties expertus ſum; verum enim vero ex ſententia Hirschel votum nactus ſum aliquando ex miſcella martis cum mercurio & quidem ſi litus externe adhibebatur, martialia interne exhibendo optimum mihi praeſtitere effectum, immo ubi ſcorbutus cum venere jungebatur. Non inutilis methodus fuit praecipue, ubi circumſtantiae non permittebant moras nectere in ſcorbuto primo curando. Sulphur quoque praevertere ſalivationem creditur, inde forſan aethiops minerale tritura paratum iners ad ptyalismum excitandum.

§. 178. Demum ex obſervatione Boerhavii, quod mercurius ſublimatus corroſivus ſyrupo violaceo mixtus in multis morbis incurabilibus prudenter a prudente Medico adhibitus mira prae-

ſtiterit aliquando, vel uti aliis placet annotante prius Sanches & in commercio litterario amico van Swieten communicatus fuit ejus uſus in curanda lue absque ſalivatione indeque adornata celebris illa ſolutio mercurialis No. 18. e qua pro re nata ſumitur bis vel ter de die cochlear majus in vehiculo aquoſo ſuperbibendo Lb. 1. decocti avenacei aut alius demulcentis, ob violentiam enim remedii aliter exulcerationes poſſunt fieri in ore, colicas & cardialgias. Hinc recte ergo Boerhavius: ſi methodum neſcis abſtine.

§. 179. Non ſatis tuto exhibetur haec ſolutio pectore infirmo laborantibus, in quibusdam excitavit haemoptoen, hecticam, nervorumque affectiones, nec affirmare licet, num in morbo confirmato quid valeat. Lenire forſan poterit ſymptomata & in leviori morbo utile eſſe aliquando remedium, parva enim mercurii quantitate non domatur lues. Subſtituit verum Gardane aquam ſpiritui, tutius adhuc credidit Plenck ſolutionem ſuam in mucilagine gummoſa, per diaphoreſim operatur ut plurimum; abſolute vero inde non excitari ſalivationem uti venditant falſum eſt. Quid de ſublimati uſu in balneis habeam, non eſt quod dicam, cum occaſionem nunquam nactus fuerim tentandi. Volunt autem ut doſis ſublimati ſenſim augeatur, ſedeatque aeger in balneo per bihorium: Operari ajunt per diaphoreſim & diureſim non ſine ardore aliquando, interdum vero gingivas inde intumeſcere, dentes-

teſque vacillare atque dolere a tali balneo, ad ſalivationem autem non pervenire. Balnea ſufficere triginta numero, non omnem tamen inde ſanari luem.

§. 180. Jam videndum, quid habeant autores circa ſalivationem in lue curanda, qualemque methodum praeferant curativam ſc. num externam num internam. Morbum non curans, niſi per ſalivationem ab hydrargyro excitatam ſententia eſt Sydenhami aliorumque quam plurimorum tum antiquorum tum neotericorum. Rejicitur vero a Rosenstenio & periculoſa ab eo cenſetur; incommoda ſecum fert varia, incerta habetur, non aeque omnibus apta, non critica eſt, minimeque neceſſaria ad luis extinctionem.

§. 181. Periculoſa cenſetur ſalivatio; febris inde ſaepius oritur, inducitque diarrhoeas, tormina, dyſenterias, haemoptoes copioſiſſimas, haemorrhagias profuſiſſimas, dum a vi mercurii ſanguis nimis diſſolvitur & totus verſus glandulas ſalivales attrahitur: contracturas ſeu arctam conſtrictionem maxillae inferioris, ut os vix aperiri poſſit, accretionem linguae ad gingivas. Noxia prae caeteris dein habetur gravidis, infantibus, debili pectore donatis, epilepſiae ſubjectis. Corpora exſucca, arida, hectica, haemoptoem paſſa non facile ſalivationi exponas.

§. 182. Incommoda a ptyalismo reportanda ſunt ardor in ore, glandularum tumor circa col-

 lum,

lum, fauces & linguam, gingivarum eroſio, faciei inflatio & linguae tanta intumescentia, ut haud contineri poſſit in ore aſſidua expuitio, quae ſomnum turbat, ſuffocationis metus a ſalivae deglutitione in ſomno & ſupine cubanti, dentium vacillatio lapſusve, virium amiſſio, quae diu recuperari haud poſſunt.

§. 183. Incerta habetur, mercurii enim effluxus per ſalivam, curationem integram haud permittit, niſi poſt multos labores exantlatos, multa taedia devorata, inde ſaepius recidiva. Neque critica eſt, nunquam enim curatur lues ſalivatione ſponte oborta, vel potius nunquam ſponte oritur ſalivatio, qua lues curetur. Exempla plurimorum absque ſalivatione a lue curatorum convincunt eam non prorſus neceſſariam eſſe ad morbi curationem; mercurius ſpecifice extinguit miasma venereum, dum intime miſcetur maſſae humorum, neque cito nimis iterum e corpore expellitur. Per accidens autem juvat ptyalismus, dum ſcilicet inevitabile ſequitur quantitatem ſufficientem mercurii in maſſam humorum recepti.

§. 184. Jam iterum diſceptatur inter autores, num mercurii introductio in ſanguinem melius tutiusve fit per externam applicationem, an per internam exhibitionem, inunctione optime ſufficientem quantitatem reſorberi ad morbum extinguendum, ſtatuunt quamplurimi. Haec quidem varia eſt pro varietate gradus aetatisque,

neque

neque omnes aſſentiunt van Swieten, qui uſum mercurii internum externe praeferri vult; non tam facile etenim mercurii vis externe applicati ruit ad inteſtina quam interne; quique internis mercurialibus utuntur plus egent mercurii, quam qui per Litus. Nam etiam ad aliquot ſeptimanas a ſalivatione ipſa ſic inſtituta perſiſtendum eſt in uſu mercurii, minori in doſi licet. Alii iterum varia timent ab inunctionibus non facile uſum mercurii internum ſequentia. Ab inunctione enim ſaepe fiunt haemorrhagiae. Vidi quidem apoplecticum a frictionibus mercurialibus, in cujus capite ſanguinis effuſio copioſior aderat. Propenſionem in ſomnum ab illito mercurio in affectu arthritico ſecutam annotavi. Argentum vivum primam facile accipiens formam in oſſium cavitates deponi perhibent alii, tremores paralyſes ab inunctione ſecutas ferunt.

§. 185. Sunt autem, qui uſum internum mercurii praeferunt ob rationes modo allatas. Sunt qui mercurium dulcem ad partes bucarum internas affricari volunt, ut reſorptionem citius atque facilius fiat. Nondum mihi conſtat uſus. Pro meo caeteroquin judicio verba Cartheuseri mea faciens, cura ſalivalis externa mercurii currentis, recenti pinguedine ſuilla ſubacti, inunctione peragenda, curae internae larga mercurii dulcis aſſumptione primarie abſolvendae ſemper praeferri meretur, quoniam ſub eo non tam facile quam ſub interna intempeſtiva catharſis, quae ſali-

ſalivae fluxum impedit, ſupervenire ſolet. Tantum quidem timet Sydenhamus a ptyalismi ſuppreſſione per catharſin, ut ne quidem in reconvalescentibus auſus fuerit catharſin movere.

§. 186. Ante uſum mercurii vena ſecanda in plethoricis, inſequente die alvus ducenda bis vel ter brevioribus intervallis, potus aegroti ſit lythogala aut hydrogala vel decoctum lignorum dilutius. Poſt alvi ductionem balnea tepida inſtituenda bis de die per integram ſeptimanam. Gravidis haec parum idonea. In majori gradu aut periculo mora nocet, omnisque praeparatio inepta, ſed ſtatim ad inunctiones accedendum. Gravidae quoque quantocius curandae litu mercuriali, neque expectandum ad partum. Malum enim interim augeri poteſt & matri & foetui ferale evadere. Alumnus ſanatur facile exhibitis remediis aptis nutrici, compertumque habeo ſic neonatos citius quam ablactatos a morbo liberari.

§. 187. In diaeta copia ciborum, ſalita, fumo indurata, acida, pinguia vitanda: aromata noxia, lacticinia optima, ova ſorbilia haud inepta: olera cocta, uti ſpinachia, intybia, jura vitulina, gallinacea ſubinde utilia. Vinum proſcribitur, uti & poma cocta, pruna damaſcena, quae aliquando alvum nimis ſolvunt, multus potus juvat; aer tepidus liber innoxius mercurio utentibus, non ita frigidus hyemalis.

§. 188.

§. 188. In uſum mercurialium inſiſtendum, donec ſymptomata miteſcant. Salivatio inde excitata aſcendere debet ad Lb. IV. nychthemeri ſpatio. Si interdum minuitur ſymptomatibus perſiſtentibus, mercurii dulcis ſubinde doſis exhibenda. Si verſus inteſtina delabitur, ab eo abſtinendum. Clysmata, emollientia & demulcentia injicienda, opiumque propinandum. Salivatio excedens clyſtere, veſicante ad nucham inhibenda ſub finem os colluendum vino rubro. Confer quae capite de ſalivatione morboſa faſciculo de fluxibus hic pertinent.

§. 189. Symptomata topica, exoſtoſes thophique puta aliquando ſub ſitu & ſalivatione mercuriali pariter diſcutiuntur; aliquando huic medicinae reſiſtunt. Tunc denudandum os atque terebra diverſis locis perforandum, demum ſcalpello atque malleolo omnino extirpandum & tanquam caries tractandum, quod mere chirurgicum eſt.

§. 190. Sunt & alia quaedam incommoda, quae ſaepe remanent poſt ſuperatam ſalivationem, nempe linguae conglutinatio, cum gingivis aliisque partibus vicinis. Haec autem praepedienda venit linteis oblongis ſubinde interpoſitis. Oris ſtrictura ſaepe remanet triſte atque immedicabile malum. Debilitas erigenda corticis peruviani uſu, quo partes firmantur, ut ſalivatio ſubinde diu poſt hydrargyroſim ſuperatam moleſta perſiſtens prorſus inhibeatur per uſum quo-

que decoctorum lignorum etiam incommoda a ptyaliſmo derelicta tolluntur. China radix praecipue commendatur hic; qua Aegyptii utuntur, ut pinguiores fiant.

§. 191. Prophylaxis nulla in hoc morbo, fruſtra ablutio frigida a Boerhavio poſt coitum commendata; vinoſa fruſtra cum aliquot guttis olei therebinthinae ab Etmullero, inutilis huic ſcopo urina propria a Fallopio laudata, inutilis ablutio tepida vinoſa ſpiritu vini camphorati addito ab aliis depraedicata. Inutilis ablutio mixtione aceti cum aqua vel diſſolutione aluminis aquoſa. Noxiae tractu temporis ſaltem injectiones & ablutiones ſolutione mercurii corroſivi. Vana & inanis ſpes in Condons Anglorum praeſidiis familiaribus.

FOR-

FORMULAE

MEDICINALES.

No. 1.

℞. *Fol. rut. muran.*
cochlear. aa. M. II.
Flor. centaur. min. unc. I.
Rad. raphan. ruſtican. unc. VI.
Semin. ſinapios unc. II.
Bulb. aron. drachm. VI.
Conciſ. recond. in cereviſ.
recent. & fervent. ¼ dolio.

No. 2.

℞. *Fol. recent. cochl.*
becabung.
rut. hortenſ.
urtic. aa. q. ſ.
Exprimatur ſuccus S. A. ad unc. III. parum ſacchar. addend. bibat mane per 15 dies inſequentes.

No. 3.

℞. *Sp. Sal. d.* drachm. I.

Mel roſar. unc. I.

Aq. commun. unc. X.

Linteo carpto madido applicetur aliquoties de die ad gingivas putridas.

No. 4.

℞. *Tinct. gumm. lacc.*

Cort. peruv.

Myrrh. aa. drachm. I.

penicillo applicetur ut ſupra.

No. 5.

℞. *Extract. Hellebor. noſt.*

Myrrh. ſolut. aa. unc. ſemiſ.

Card. Bened. pulver. drachm. III.

M. F. L. A. maſſ. aere ſicco exſiccanda, donec formand. pil. apta ſit ſing. ad gr. ſemis. Sumi poſſunt aliquot de die partitis vicibus.

No. 6.

℞. *Elater.* gr. X.

Sal. gemm. Scrup. I.

Miv. Cydon. q. ſ.

M. pro una vice.

No.

No. 7.

℞. *Acet. ſquillit.*
Sp. ſal. d. aa. unc. ſemis.
Syr. Alth. Tr. unc. I.

capiant, ex hac mixtura omni bihorio gt. 80. in decocto avenaceo.

No. 8.

℞. *Rad. vincetox.* gr. V,
Aron. gr. III.
Scill. gr. II.
Nitr. depurat. gr. XV.
Cremor tartar. gr. X.

F. pulv. diureticus omni trihorio ſumendus.

No. 9.

℞. *Sumit. abſynth. vulg.*
Ciner. geniſt. ana unc. III.
Rad. Calam. aromat.
Gentian.
Imperator. ana unc. I.
Bacc. Laur.
Juniper. ana unc. I. & ſemis.

Stent in vin. bon. Lb. VIII. per 24 horas. F. vinum hydropicum ter de die bibantur unc. II.

No. 10.

℞. *Tart. emetic.* gr. IV.
Opii pur. gr. III.
Magneſ. alb. drach. I.
M. divid. in p. aeq. No. 6. E quibus ſumat. I. cubitum iturus, ſemel aut bis in hebdomade.

Compoſitio ſudorifera eſt in Anaſarca LEAKII.

No. 11.

℞. *Spong. ad nigred. uſt.* gr. XX.
Nitr. depurat.
Corallin.
Sacchar. albiſſ. ana gr. X.
M. F. pulv. bis de die ſuperbibendo
Aq. conchar. cyath. III.

No. 12.

℞. *Decoct. ex capit. papav.* Lb. I.
Extract. Saturn. unc. ſemis.
Tinct. myrrh. drach. II.
M. pro injectione in uteri cancro.

No. 13.

℞. *Decoct. ex Dauc. ſativ.* Lb. I.
Extract. cicut. drach. II.

Sacchar.

Sacchar. Saturn. drach. I.
Arſenic. gr. III.
M. pro fomento in cancro mammarum.

No. 14.

℞. *Antimon. crud.*
Aethiop. miner.
Flor. Sulphur. ana gr. X.
M. F. pulv. bis de die ſumendus.

No. 15.

℞. *Aquil. alb.* drachm. I.
F. L. A. cum. mic. pan.
pil. No. XII.
Quarum una capiatur bis in hebdomade hora decubitus.

No. 16.

℞. *Unguent. alb. camphor.* unc. II.
For. ſulphur. drachm. I. & ſemis.
Merc. pp. alb. gr. XXX.
M. F. unguentum.

No. 17.

℞. *Axung. porcin.* unc. II.

Argent.

Argent. viv. unc. I.

M. pro litu antivenereo.

No. 18.

℞. *Merc. ſublimat. corroſiv.* gr. III.

Sp. frument. unc. III.

M. d. vitr.

Sumat inde bis de die cochl. majus in vehiculo aquoſo, ſuperbibendo Lb. I.

decoct. demulcent. avenac.

